VETUS LATIUM PROFANUM

TOMUS SEPTIMUS

IN QVO AGITVR

DE ALBANIS ET ARICINIS.

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

PATAVII. CIↃIↃCCXXXVI.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

Superiorum Permissu.

EMINENTISS. ac REVERENDISS.

PRINCIPI

LUDOVICO PICO

EX DUCIBUS MIRANDULANIS

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

Josephus Roccus Vulpius Societatis JESU Felicitatem.

COMMENTARIA de Vetustis Albanorum & Aricinorum monumentis vulgaturus, LUDOVICE PICE ex Ducibus Mirandulanis Cardinalis Amplissime, eademque, sicut hactenus de reliquis Latii populis a me edita consuevi, in Mæcenatis optimi sinum collocaturus, & auctoritati commendaturus, TE primum

mum omnium menti meæ jure meritoque occurrentem, cujus hæc in clientelam tutissimam & patrocinium potentissimum traderem, me delegisse, æqui bonique consulas, velim; tenuique hac Epistola gravissimas publicas curas, seriaque quammaxime studia quibus assiduus usque adeo incumbis, tantillum interpellantem, quæso TE, lubenti animo patiaris. Si enim exiguo intervallo ad hæc ipsa Commentaria animum advortas, nullum profecto dispendium Pastoralis solicitudo ac vigilantia Tua qua hos ipsos Albanos populos Aricinosque tam sancte custodis, promoves, & optimæ frugis cumulas, sunt percepturæ. Siquidem Albanorum & Aricinorum vetera monumenta Albanorum ipse atque Aricinorum Sacer Antistes mente, oculis, manu usurpabis, pertractabis, evolves. Nec pedem igitur, neque curas e Sacra Ditione Tua, si ad Libros istos adspexeris, vel passum es elaturus. Quinimo in clientelam ac patrocinium, quod enixe postulo, eosdem cum auctore suo si receperis, rem quæ Albanorum Pastorem amantissimum maxime deceat, ipse præstiteris. Quo enim mihi, si TU Sacrorum Albanorum Curator sis, & quæ nunc offero, Albana monumenta, profana? quo, inquam, hoc? cum profana hæc Sacris Tuis quæ nunc sanctis-

ctiſſime curas, origo fuerint, & viam ſtraverint. Certe ex Albæ Longæ ruinis, licet non eodem prorſus loco ac ſitu, Albanum præſens Oppidum exſurrexit, Sacro Antiſtite decoratum qui inter ſex ſupremi ordinis Cardinales jampridem eſt computatus. Quippini, igitur, Albani Antiſtitis ſtudia & iſtud non ingrediatur, priſca ſcilicet Ditionis ſuæ locorum monumenta veſtigare, luſtrare, & chartis commendata, & illuſtrata uticumque, relegere? Et hæc quidem ad Albanorum & Aricinorum Sacrum Antiſtitem. Nam ad Picum Cardinalem Mirandulanum quod attinet, virum omnigena, ſacra ſcilicet ac profana ſeveriori pariter atque amœniori, literatura affatim imbutum ac madidum, non eſt quod multis aditum meis hiſce Libellis procurem. Cum Tu, Cardinalis Ampliſſime, idemque literatorum virorum Mæcenas munificentiſſime, ad quidquid ab his bonæ frugis proferatur, educendum, fovendum, tutandum, promovendum, modis omnibus perficiendum, Tua ſponte ac Tuapte generoſiſſima indole proclivis maxime ac paratus ſemper fueris. Familiare hoc Tibi, Avitum, ac Gentilitium; ut & animum ipſe Tuum optimis ſtudiis ac diſciplinis inſtruere, ornare, & cumulare intermittas numquam; & optimas artes, ubi ubi affulſerint, in ceteris

ris omnibus provehas atque tuteris. Cujus enim in Hiſtoria adeo peregrinantur aures, ut Gentis Tuæ generoſiſſimæ fama ac rebus geſtis præclariſſimos Majores ignoret? Certe, ut antiquiora ejus omiſerim monimenta, PICORUM Familia ab ipſo Reparati Orbis anno centeſimo decimo poſt milleſimum, duobus ſubſecutis ſæculis inter paucas celebratiſſima fuit. Siquidem in ea Duces Mirandulani & Concordiæ Comites longo ordine numerantur inſignes, qui bellica potiſſimum laude floruere. Ab Salutis autem ſæculo ſextodecimo ineunte Mirandulanorum pariter Ducum ſeries antiquo ſplendori potiſſimum reſtituta per LUDOVICUM PICUM Galeoti Pici tertiumgenitum, & ſubſecutos exinde clariſſimos Viros Principes. Quibus in Majoribus Tuis, Cardinalis Ampliſſime, quamquam toga ſagoque plurimi exſtiterint ornatiſſimi; nihilo tamen minus, micat inter omnes Magni illius JOANNIS ſapientiſſimi ſidus, velut inter ignes Luna minores, quem ipſe Scaliger vel in ſummos viros audaciſſimus allatrator, vi tamen veritatis compulſus, *Monſtrum ſine vitio* appellare coactus eſt. Libera vero ab omni invidiæ livore pectora *Phœnicem Ingeniorum* ſuffragiis communibus appellavere. Hunc enim non privata quædam adulatoria, ſed publica

gen-

gentium monumenta maxime veridica ferunt, vix decennem Pontificio Juri contentiſſimam navaſſe operam, & in id ſapienter commentatum fuiſſe. idem octodecim annos natus duas ſupra viginti Linguas loqui callebat. biennio poſt, Romæ non minus nongentas Theſes, ſive poſitiones, enuntiationeſve ac ſententias ex univerſa Literatura depromtas palam ſapientiſſime propugnavit. Quas a ſemidoctis invidulis ac lividulis hominibus impetitas, ſtrenue admodum collatis undique in rem ſuam validiſſimis teſtimoniis ab ultima uſque Antiquitate repetitis, dicto ſcriptoque vallavit undique, ac communivit. Unde, omnibus invidiæ tenebricoſis nebulis diſſipatis, nitidiſſimi Solis inſtar, ejus ſapientia terrarum orbi univerſo conſtanter effulſit. Quæ denique ſupremum celſitudinis apicem tangere tunc viſa eſt, cum Philoſophiæ, cui totum ſe tradiderat JOANNES, amore, ampliſſimæ Avitæ Ditioni nuntium remiſit; ac humanis rebus omnibus jam major eadem ipſius ſapientia poſt paullo inter ſumma ſidera recepta eſt; ætatis tanti vix viri, ſi annos reſpexeris, ſenis conſummati, ſi virtutes, tertio & trigeſimo; Florentiæ JOANNE PICO excedente, a Virginis Partu poſt quartum & nonageſimum milleſimo quadringenteſimo, Novembris

bris decimaseptima. Cujus vestigia JOANNES FRANCISCUS PICUS germani ejus fratris filius quam proxime sectatus est; quemadmodum utriusque jampridem edita Opera testificantur. Immo vero Gentis Tuæ ac Familiæ solemne id, proprium ac peculiare semper exstitisse memorant, ut inter bellica laude præclaros viros, literis unus aliquis semper excelluerit. quem TE nostra hac ætate fulgere nemo non videt. Me tamen Tuorum decora prosecuturum largius, ac narraturum, interdicto ipse cohibes; orique manum imponis:

Nam licet a PICO *numeres genus; alta tamen* TE
Nomina non capiunt.

Et TIBI,

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria; Nobilitas sola est atque unica virtus.

His igitur, dicto audiens, omissis; illa tantum commemorabo domestica mihi rationum momenta ac vincula quibus obligatus ac pæne coactus publicum hoc qualecumque, ac perenne, ut spero, futurum, animi mei ac Sociorum erga TE meorum devinctissimi non uno nomine testimonium, dum hosce Libellos meos TIBI Do, Dico, Dedico, proferre decrevi. Nam, & JOANNES PICUS Patruus Tuus hunc ipsum Ordinem nostrum, dato illi nomi-

mine decoravit, ſuiſque virtutibus Avitæ Nobilitati ſuper inductis, illuſtravit. Qui, licet ſex & viginti vix annos natus, Cælo jam maturus, anno Salutis MDCLX. Romæ obierit; conſummatus nihilominus in brevi, explevit tempora multa. Et ipſum Mirandulanum Collegium Societati conſtitutum, locupletiſſimum Gentis Tuæ in nos amoris ac patrocinii teſtimonium in ætates omnes, ſolum ſuffecerit. Tu vero, Cardinalis Ampliſſime, pro Tua in Superos univerſos pietate, proque arcto ſanguinis vinculo quo illi conjunctus es, omnem operam ac ſapientiam Tuam collocaſti ut Beatiſſimus Juvenis Aloysius Gonzaga Societatis ejuſdem noſtræ alumnus, in Sanctorum JESU CHRISTI Album rite ac ſolemniter referretur. Quod innumeris in dies per univerſum Chriſtianum orbem ſubſecutis ac ſubſequentibus prodigiis, veluti certiſſimis, utpote cæleſtibus, plauſoribus, feliciter conſecuti ſumus. Ceterum, huic minimæ Societati, quod in univerſam Chriſtianam juvandam Rempublicam pro viribus tota eſt, favere Te plurimum re ipſa ideo profiteris. Siquidem Tu, Cardinalis Ampliſſime, ſanctiſſimi ac probatiſſimi CHRISTI Regni in omnes terras ac gentes propagandi, dilatandi, ſtabiliendique ſtudioſiſſimus uſque a teneris, florentiſſimæ

celsissimæque fortunæ, quibus vel ipsis ex incunabulis alliciebaris, domesticis blandimentis posthabitis, Sacræ Militiæ nomen dare continuo maluisti. Iccirco in Pontificis Maximi Romana Aula luculentum virorum ac præcipue juvenum Principum exemplum, in quod intenderent omnes, & dignis Principe Sacris dedicato, virtutibus exinde formarentur, versatus es. Quod tantum lumen, ut de excelsiori semper loco in oculis omnium magis magisque foret; post cetera honestissima, quibus fueras perfunctus, munera, Pontificio primum Cubiculo, exinde Pontificiis ipsis Ædibus Præfectus es renuntiatus. Byzantinus mox creatus Antistes; Purpuratorum denique Patrum Collegio Amplissimo es aggregatus ab Optimo Pontifice CLEMENTE XI. qui splendidissimum Senatum sublimi tanti Principis facta accessione mirifice decoravit. Gallorum præterea Senam, urbem in ora superi maris inter Piceni confinia sitam, Sacer Antistes procurasti aliquamdiu; donec Romæ ad universæ Christianæ Reipublicæ sanctitatem, felicitatem, commoda promovenda modis omnibus stabiliter consedisti. Quibus in muneribus TUI semper similis, innumera Pietatis, Sapientiæ, Constantiæ, Charitatis, Vigilantiæ, ceterarum virtutum omnium documenta

co-

cominus æque atque eminus, domeſticis ſimul atque hoſpitibus, aſſidue exhibuiſti. At male eſt dudum Modeſtiæ Tuæ a laudibus meis. Cui quamquam parere, ut decet, apud me conſtituerim; non poſſum tamen, quin improbulus, unum adhuc verbulum addam; quo prolato, fiet ſtatim ut conticeſcam. Illud eſt, ſcilicet, TE Albanis meis & Aricinis præpoſitum Sacrum Paſtorem atque Antiſtitem, eorum uſque adeo incrementa tum æterna animorum, tum vero etiam temporaria corporum, vigilantiſſime atque amantiſſime promovere; ut hiſce Populis feliciores nulli ſub Sole profecto exiſtimandi ſint vivere; quibus tam pii & in ovium ſuarum commoda unice intendentis aſſidue Paſtoris ac Principis in fide atque ſub umbra cuſtodiri, ab Superis feliciſſime conceſſum eſt. TU enim communibus, ceteroquin ſalubribus, copioſis ac pinguibus, paſcuis Gregem Tuum alere non contentus; juxta domos etiam & tuguria, minores veluti upiliones, miniſtros Tuos pientiſſimos Sacerdotes atque Operarios diſpergere conſueſti; qui parvulis, non corpore, ſed neceſſariæ ſcientiæ modulo, Chriſtianorum rudimentorum panem petentibus, & neque petentibus, immo & faſtidientibus morboſe, frangerent tamen mira patientia; unde

factum, ut peſſimus ſcelerum omnium fons ac fœdiſſima ſcaturigo, Divinarum nempe rerum ignoratio, a Sacra Ditione Tua, tamquam peſtis a pecore, quam longiſſime in exſilium amandata fuerit. Ceterum, meos hoſce Libellos patrocinium Tuum, Sacram veluti Aram prenſantes, humaniſſimo illo excipias vultu, TE obſecro, quo clientulorum neminem TE adeuntium non dignaris. Ita enim fiet, ut tanti Principis in umbra & tutela prodeuntes, audacibus obtrectantium morſibus vel minus impetantur; vel certe inanes latratus, & vulneris expertes morſus nullo negotio contemnant. Si enim ii TIBI ſemel arriſerint, non modo *magnum hoc ego ducam, quod placui* TIBI, *qui turpi ſecernis honeſtum*; verum lædentes, carpentes & detrahentes invidos omnes, Tuo graviſſimo ſuſtentatus judicio, ſecure ac irretorto oculo flocci fecerim. Quam dexteram adprobationem Tuam licet hi cum ſuo auctore Libelli per ſeſe ipſi non mererentur; PETRI tamen MARCELLINI CORRADINI Cardinalis Ampliſſimi, univerſi hujus de Veteri Latio Operis Inventoris Primi ac Mæcenatis munificentiſſimi Nomen, eam, omni dubio procul, apud TE erit conſecuturum. Ipſe enim tantus vir & Collega Tuus, ut hanc Commentariorum meorum

Par-

Partem Tuo Nomini consecrarem, Auctor mihi locupletissimus esse voluit. Fave igitur, Cardinalis Præstantissime, ac Generosissime Princeps, studiis & conatibus meis; universæque Christianæ ac Literariæ Reipublicæ summo bono incolumis & omnino felix quam diutissime vive. Hæc ex animo TIBI apprecabar, in omne obsequii argumentum ad sacræ osculum Purpuræ provolutus.

Romæ apud Sancti Athanasii Magni Collegium
Postridie Eidus Aprileis, anno CHRISTI
MDCCXXXV.

LE-

LECTORI BENEVOLO

JOSEPHUS ROCCUS VULPIUS

Societatis JESU Sal.

ECCE *tibi, Lector Benevole atque Amice, Latii Profani Veteris Partem Septimam, Albanos atque Aricinos populos complectentem. Ex ora quidem, ut vides, Occidentali maritima Regionis hujus, Agro, inquam, Ostiensi, ad mediterranea reversi, ipsum, ita dixerim, Latii umbilicum ac meditullium perlustramus. Certe Albanos, principem olim Latii gentem, mediam ferme inter Latinos sedem Albam Longam tenuisse, merito proinde Latinarum urbium reginam, comperimus. Tum hi vero ipsi Albani, tum etiam Aricini finitimi, &, de quibus deinceps subsecuturis Partibus Historiæ nostræ sermo erit, Tusculani & Algidenses, Prænestini & Gabini, ac denique Tiburtini in Veteris Latii Septemtrionali limite siti, quibus Opus nostrum universum definietur & terminabitur, illustriores rerum gestarum gloria, tum etiam urbium situ & amœnitate villarum, agrorumque felicitate, fuerunt, quam ii populi de quibus hactenus a nobis memoratum est. Alacriores proinde ad Operi coronidem imponendam ut procedamus, est æquum. Viator veluti quidam diu per senticosa & fruticosa itinera obluctatus, & modo paludibus interceptus, semitarum modo & anfractuum multitudine atque similitudine inter avia ac deserta loca, nullo fere monente duce, detentus, in apertos demum campos, & Regiam aut Consularem latissimam viam cum pervenerit, ex qua optatum jam peregrinationis suæ terminum, licet non adeo proximum, prospicere tamen incipiat; ingentes ad reliquum itineris conficiendum animos sumit; viresque sibi quodammodo novas suffici, præteritorum pæne oblitus laborum, alacrior sentit; obviis præsertim sese identidem facientibus itineris sociis, & præcedentibus plurimis, quorum vestigiis nullo negotio tutus possit insistere. Quamquam ultimum hoc viatorum solatium non omnino nobis defæcatum, & beatum ab omni parte, potuit contingere. Cum potius Nostrarum Antiquitatum præcedentes vestigatores plurimi in errorem, si, quæ tenuerunt, itinera secuti essemus, nos induxissent. Eo dixerim, quod Scriptoribus non illis quidem antiquissimis neque gravissimis, antiquis tamen & gravibus ceteroquin, alte persuasum fuit, Albam Longam urbem eo prorsus loco primitus consedisse, quo, plura jam sæcula, sedet Albanum oppidum. Qui tamen palmaris error admodum evidenter evincitur ac revincitur, probatissimorum antiquissimorum Historicorum, Livii præsertim atque Dionysii, perquam luculentis, quæ huc adducimus, testimoniis. Ceterum, nihil idcirco* Albanis, *sive potius ac melius,* Albanensibus *civibus veræ laudis, aut antiquæ originis sublatum encomium. Vere enim priscorum Albanorum pars & ipsi fuerunt; in agro Albano scilicet, & Albanæ Magni Pompeji villæ loco surrexerunt, unde nomen derivatum* Albanum. *Jam vero recensita in his Libris Loca antequam narratione illustraremus, peregrinatione cuncta lustravimus, de more; neque semel tantum id quidem, sed pluries,*

ab

ab eorumdem amœnitate & ſalubritate invitati. Eorum quoque imaginem deſcribendam diligenter, & æneis formis exprimendam curavimus, lecturis, & inſpecturis etiam tantum, obiterque hos Libros evoluturis, (quæ pars potiſſima) ut gratum faceremus. Quamquam enim mos iſte, qui jamdiu inoluit, figuris ære expreſſis Libros ornandi, edendorum eorumdem expeditum curſum retardet, ſumtus immodice aggravando; doctis nihilominus atque indoctis ſimul gratiſſimum illum accidere, experimento ac re ipſa compertum eſt. vix enim horum quilibet Libellos noſtros in manus ſumſerit, & primam frontem inſpexerit, ad rerum ære repræſentatas imagines conquirendas & contemplandas, tacito veluti quodam naturæ ductu impellente, & manus oculoſque vel imprudentium agente, properantes continuo videas. In his autem, præter ipſam oculorum noſtrorum intuentium fidem, & peritiſſimorum virorum nobiſcum quæcumque relegentium & conſiderantium ſapientiam; ATHANASII *quoque* KIRCHERII *e Societate noſtra, viri vere clariſſimi, auctoritatem, & ſedulam veſtigationem ſecuti quandoque ſumus. nihil veriti ne ſequela hujuſmodi nobis vitio tribueretur. Quamvis enim optime noverimus,* KIRCHERIUM *in ſuo Veteris at Novi Latii Opere defeciſſe quandoque, credulumque nimis fuiſſe; non ita tamen in locorum ipſorum & diſtantiarum menſuris exigendis ab eodem factitatum, cognovimus; cum potius eas ipſe per ſeſe menſuras, oculatiſſimus & peritiſſimus exactor, ſemper ceperit, atque inſpexerit præſens. In his itaque nos illum ſecutos non diffitemur. Ceterum, cum tot tantaque ſolus* KIRCHERIUS *ſcripſerit, arcana, mira, reconditiſſima, atque abſtruſiſſima, quot, ingentibus ſane, ſpiſſis, ac laborioſiſſimis ejus Operum voluminibus contenta, unuſquiſque admirari poterit; dormitaſſe illum quandoque bonum, cum Homero, nemo jure indignabitur. namque, ſi opere in longo fas eſt obrepere ſomnum; quanto magis in operibus longiſſimis, ac pæne infinitis? In quibus tamen (ut fluxerit lutulentus; quod criminantur nonnulli) erit uſque adeo quod tollere poſſis ac velis; ut Univerſalis Bibliothecæ loco Kircheriani tantum libri erudito cuilibet eſſe poſſint. Quod veritatis teſtimonium viro ingenioſiſſimo atque doctiſſimo, quem rodunt multi, intactum tamen, & neque ſalutatum a limine, ſed in momorum obtrectatorum verba jurantes, ut uſuvenit, immerito, hic, utpote opportuniſſimum, contuliſſe, plurimis nominibus obligati, ipſi omnino debuimus.*

Porro in Veterum Locorum adſignanda ab Urbe diſtantia diſcrepantes nos in his Libris a vulgatis ſententiis invenies quandoque, Lector Benevole: ac potiſſimum priſcam Albæ Longæ ſedem viginti mille paſſus ab urbe Roma dum conſtituimus. quam tantum ſpatii, ſi ad radices Albani Montis fuit ſita, diſtaſſe, incredibile pæne videtur, & locorum ipſorum, quam oculis proſpicimus, & pedibus quaſi metimur, diſtantiæ vix non experimento contrarium. Attamen id nos non e noſtro, ut ajunt, cerebro; neque contradicendi ceteris ſtudio, a quo plurimum abhorruimus ſemper, præſtitimus: verum probatiſſimorum Veterum Scriptorum ductum, idem aſſeverantium, ſecuti. Illud enim in hujuſmodi diſtantiarum menſuris ob oculos ſemper habendum eſt, variantes illas multiplici de cauſa ſemper fuiſſe. Quod quamquam monuimus alias; hic rurſum opportune animadvertere, perutile ac pæne neceſſarium ducimus, ad iniquas multorum antevertendas evertendaſque criminationes. Alii itaque aliter locorum diſtantias conſtituerunt, & dimenſi ſunt. In primis ab Aureo milliario, quod in foro Romano fuit, unde per Orbem Romanum apertæ directæque Conſulares Viæ omnes incipiebant, plures locorum ab Urbe diſtantiam metiri conſueverunt; aliis nihilominus a Porta Urbis, ex qua communiter definitus

locus,

locus de quo illis ſermo, adibatur, iter metiri incipientibus. quod initii ducendi diſcrimen non minimum ſane fuit aliquando; verum duorum, trium, & eo amplius quandoque, paſſuum millium. Rurſus, iter idem ſive ſpatium quo loca inter ſeſe diſtabant, non eadem via omnes dimetiebantur. Alii enim rectam, quæ omnium breviſſima, etiamſi in uſu non eſſet iter facientibus, utpote vallium, montium, fluminum, ceteris impedimentis obſita, pro menſura tamen, quam mente ſaltem conciperent, conſtituere non dubitarunt. Præcipue cum Romanis mos fuerit, rectiſſimas hujuſmodi Vias, nullis parcendo laboribus, aut ſumtibus, vel immenſis, aperire, vel maxime longinquas. cujus rei luculentiſſimum pro cunctis teſtimonium ecto Appia, Pontinas quæ dividit uda paludes, & Puteolana juxta Neapolitanum Pauſilippum, & Flaminia juxta T. Sempronii Forum, perforatis montibus ipſis & cautibus, ad circuitus evitandos, & itinerum facienda compendia directæ. Quam tamen itinera ipſa dimetiendi rationem, utpote incertam admodum, & erroribus etiam palmaribus patentem atque ſcatentem, ceteri plures inire minime voluerunt. Verum in propatulo poſitis menſuris uſi, lapidibus nempe milliariis, Conſulum & Cæſarum beneficio per univerſum Romanum Orbem diſpoſitis circa Militares Vias, eorumdem lapidum circuitus atque ambages omnino ſecuti ſunt. Quod diſtantias longiores multo potuit efficere, quam ſi recto tramite computatæ fuiſſent. Græci denique Scriptores, ceu Strabo, Dionyſius, Ptolemæus, Polybius, ceteri, qui tamen Latinis diligentiores ac minutiores in hac parte certe dignoſcuntur, non Romanorum paſſuum millibus, ut Latini, aut ſic conſtitutis milliaribus lapidibus uti conſueverunt; ſed ſtadiis, Græcorum menſura. ex quibus quamquam octo milliare Romanum conſtituiſſe noverimus, Romanæ ipſius Reipublicæ ac primorum ſeu ſuperiorum Cæſarum, Alti, quod appellant, Imperii temporibus; ſeptem tamen ſtadia cum dimidio poſtmodum in milliaria ſingula computata fuiſſe, docemur. Denique terminus ipſe hujuſmodi menſurarum variantes illas ſæpiſſime potuit efficere. In primis enim inchoatum milliare paucis quoque paſſibus pro completo atque exacto ſumi potuit. quamquam Itineraria Antiqua huic proſpexerint difficultati, addendo fere ſemper conſtitutis ac deſcriptis menſuris has notas pl. m. *nempe* plus minuſve. *quæ tamen de majori quam unum milliare, diſtantia, ſive diſcrimine, numquam intelligendæ videntur. Meta etiam ſive Terminus diſtantiæ ab urbe Roma non unus quandoque fuit. cum alii agrum ejus urbis ſeu loci cujus ab Roma diſtantiam definire mens erat, pro termino ſumerent; alii portas & mœnia; forum & arcem nonnulli ſumſerint. Unde tot ex fontibus varietas in veterum locorum adſignandis ab Urbe diſtantiis irrepere cum potuerit, mirum viro prudenti nemini videri debeat, variantes adeo ſuper hoc Scriptorum ſententias exſiſtere. Quibus omnibus illud addendum, eorumdem Scriptorum Codices corruptos ſæpius in manus noſtras perveniſſe: corruptelamque maxime omnium in hujuſmodi deſcriptas locorum diſtantias irrepſiſſe, illaſque vitiaſſe; eo quod numeris, ſive numericis notis, fere ſemper deſcribi conſueſſent. Quod præcipue Strabonis Libris, & Antiquis Itinerariis, Antonini, Hieroſolymitano, & Tertio cuidam Veteri ſine nomine, accidiſſe frequentiſſime, aperte deprehendimus. Menda tamen hujuſmodi iis in Codicibus non idcirco temere aſſerenda, ſeu verius ſupponenda fuerint. in quo faciles nimium ac pronos Antiquarios nonnullos tolerare vix poſſis; qui, quoties fallacibus a ſe efformatis de veteris alicujus oppidi ſede conjecturis, locorum deſcripta apud Priſcos Auctores diſtantia minime reſpondeat; corruptos continuo a Librariis Codices, confidenter nimis, exclamant, atque pronuntiant. Ego vero hanc potius in*

im-

implicatis hiſce ambagibus explicandis quoad licet, & evolvendis, regulam ſequi maluerim; ut nonniſi patentiſſimo, eoque palmari, & omnium fere rationum momentis deſtituto errore deprehenſo, in Librariorum illum & exſcriptorum inſcitiam & corruptelam refuderim; vitiatumque ejuſmodi Codicem pronuntiaverim. talem ſuper eo numquam prolaturus ſententiam, quoties aliquibus adminiculis fuerit ſuſtentatus, ne injuriâ de veteris poſſeſſionis loco deturbetur. Id enim ſanus quiſque in obſcuriſſimis hiſce atque a nobis remotiſſimis rebus perveſtigandis, apud ſeſe conſtituere debet: Probatorum ac receptorum communiter Auctorum, qui proximiores temporibus de quibus agitur, fuerunt, teſtimoniis ſtandum omnino; donec meliora certo certius (quod tamen rariſſime uſuvenit) detegantur, proferantur, & ineluctabiliter in contrarium evincantur, ac deprehendantur. Si enim ſemel liceat cuilibet impune ac temere Vetuſtos Scriptores, & eorum Libros, vitii vel mendi, quod irrepſerit, accuſare; univerſam profecto Hiſtoriam & Antiquitatem ab imo evertemus; Commentariorumque noſtrorum, velut ægri ſomnia, vanæ fingentur ſpecies: ut nec pes, nec caput uni reddatur formæ, eruntque rudis indigeſtaque moles, quam priſci dixere Chaos. noſtris quod vitium abſore chartis, atque animo prius, ut ſi quid promittere de me poſſum aliud, vere promitto. &, niſi vehementer fallor, re ipſa cavi ſemper diligentiſſime. Tu interim, Lector Benevole, qualem te ſemper appello, expertuſque ſum hactenus, ſis mihi deinceps quoque, longum ſane ac laborioſum Opus urgenti, & ad exitum perducere properanti. quod, Divino favente Numine, quantocius me præſtiturum fore confido. Utere. Boni conſule. Vale.

Antiqua Locorum quæ in his Libris deſcribuntur, nomina cum recentibus collata.

1. ALBA *Longa*, urbs olim Latii Princeps & Caput, ab Aſcanio Æneæ filio condita inter Montem & Lacum qui *Albani* deinde ab ea dicti ſunt. A Tullo Hoſtilio Romanorum Rege Tertio deſtructa: Sediſſe creditur veriſimillime in eo Albani Montis dorſo, in Romæ conſpectu, ubi nunc Columnenſium villula cernitur, vulgo *Palazzólo*. XX. olim pl. m. ab Urbe lapide, Straboni. Populi conſtanter *Albani* appellati ſunt.

2. *Albanum*, Pompeji Magni villa fuit, eximii illius exercituum Imperatoris & Regum Triumphatoris, in ipſo Viæ Appiæ limite magnifice exſtructa. ibi Pompeji cineres a Cornelia conjuge fuere tumulati. Ex hujus Prætorii ruinis enatum *Albanum* præſens oppidum, plerique omnes putant, vulgo *Albano*. Pompeji vero Sepulcrum; ſive honorarium ſaltem Mauſolæum, illud fuiſſe autumant, cujus pars magna adhuc exſtat, Albani extra mœnia, ante Deiparæ Virginis Ædem, vulgo *la Madonna della Stella*. Hujus oppidi cives non *Albani*, ſed *Albanenſes* cognominati ſunt. Diſtat ab Urbe, Via recenti Albana, lapide XIV.

3. *Aricia*, urbs Veteris Latii celebris, ab Archilocho, ut Solinus, ab Hippolyto, ut Fabulæ, condita, juxta Viam Appiam, lapide pl. m. ſextodecimo, Romanorum Colonia, & mox Municipium honeſtiſſimum Civium Romanorum: Dianæ templo, luco, & cultu fuit celebrata; modo *la Riccia*. Diſtat nunc ab Urbe, Via Albana, mille paſſus quindecim, milliariis lapidibus conſtitutis. Incolæ olim *Aricini* dicti.

4. *Bovillæ*, Veterum Latinorum oppidum Via Appia, nonum inter & decimum ab Urbe lapidem; locus Sacrario Gentis Juliæ celebris, Romanorum Colonia & Municipium. Dictæ ſunt *Suburbanæ*, ut a Bovillis in Novo Latio, ſive Campania, conſtitutis, diſcriminarentur, haud ita procul a Verulis; quem locum nunc *Baúco* dici, Eruditi affirmant. Bovillarum Suburbanarum, de quibus in his Libris, ſedem ibi fuiſſe perhibent ubi nunc Diverſorium Publicum inter veterum ædificiorum rudera exſtat, appellatum *l'Oſteria delle Frattocchie*. Quod tamen diſtare cernimus ab Urbe, per Viam Albanam, mille paſſus ferme undecim. De quo nos hic aliquid. Oppidani dicti ſunt *Bovillani*, *Bovillenſes*, & *Albani Longani Bovillenſes*; eo quod Albanorum coloni eſſent.

5. *Caput Aquæ Ferentinæ*, locus ad radices Albani Montis ſitus, haud ita procul a Via Latina, ubi Caput Aquæ ex Lacu Albano emergebat. Dictus etiam *Ferentinum*, & *Templum* & *Lucus Ferentinæ*. ibi Veterum Populorum Latii Concilia communia & publica olim haberi ſolebant; & a *ferendis* ſive ſententiis, ſive etiam ſymbolis, loco & Numini nomen impoſitum. exſtitiſſe putatur circa loca nunc *Lavatore di Marino*, & *Selva di Marino*.

6. *Caſtra Prætoria apud Albam*, ſive *in Albano*, ſive *Albanorum*, ſub Albano Monte fuere munita inſtar urbis. ibi *Carcer Albanus* teterrimus & anguſtiſſimus fuit. munita fuiſſe ea Caſtra putant Eruditi Viri juxta Lacum Albanum, in ejus margine ex quo in Orientem Solem proſpi-

ſpicitur, e regione ſedis Antiquæ Albæ . eorumque partem fuiſſe muros vetuſtiſſimos in longiſſimum protenſos ſpatium, in villa Barberina apud Caſtrum Gandulphi . Quamquam alii hæc Prætoria Caſtra Albana ſita fuiſſe dubitaverint apud præſens Albanum oppidum loco vetuſtis magnificis ædificiis inſigni, vulgo *Cello Majo* appellato.

7. *Caſtrum Comitis Gandulphi Sabellii*, oppidum ad Lacum Albanum, ubi Albanorum Regum fuiſſe Regia dicitur exſtructa; jamdiu de Domini nomine vulgo appellatum *Caſtel Gandolfo*, ſeu ſine addito *Caſtello*. nomen Lacui fecit vernaculum *Lago di Caſtel Gandolfo*, ſeu *di Caſtello*. inſigne eſt Romanorum Pontificum, & Barberinorum aliorumque villis.

8. *Corioli*, Priſcorum Latinorum oppidum, ſive Volſcorum, intra fines Veteris Latii ſitum, Caji Marcii Coriolani victoria & cognomento inſigne. inter Aricinum & Ardeatem Agrum ſurgebat; ab ipſis Romanæ Reipublicæ exordiis exciſum ſine veſtigiis. in planicie tamen fuiſſe videtur quæ modo dicitur *Quarti della Riccia*, & *Campi d' Ardea*.

9. *Cynthianum*, oppidum peramœnum, in colle ſitum poſt Ariciam, in margine Lacus Nemorenſis; ab Cynthiæ ſive Dianæ templo, aut luco, aut dedicato loco non abſimili, nomen duxiſſe putatur. vini generoſitate & ſuavitate jamdiu nobile. Diſtat ab Urbe in Orientem, haud ita procul ab Appia Via, paſſus XVII. mille pl. m. Via Albana; hodie *Genzano*.

10. *Forum Populi*; aliis *Fabium*; oppidum Latinorum vetuſtiſſimum in Albano Monte, unde *Foropopulenſes* & *Fabiani*. Hinc *Fabia Tribus*, & nobiliſſima *Fabiorum Gens* originem duxiſſe creditur. Ex ejus ruinis excitatum putant nonnulli recens oppidulum vulgo *Rocca di Papa*.

11. *Foſſæ Clœliæ* ſeu *Cluiliæ*, locus quinto ab Urbe lapide, Via Appia, ab Cluilio Albanorum Dictatore ſic dictus; quod ibi contra Romanos caſtra metatus, & exſtinctus improviſo is fuerit. Circa illas de Imperio inter Albanos atque Romanos ab Tergeminis Horatiis & Curiatiis decertatum eſt. Loco nomen nunc *Caſale Rotondo*.

12. *Lacus Albanus* ſub cognomine monte ſitus, & Emiſſario a Romanis, oraculorum, ut jactatum eſt, juſſu, facto, celebratus; piſcationi aptus; & in margine atque cratere circumquaque olim Romanorum villis, & deorum templis ac ædiculis ornatus. modo *Lago di Caſtello*, ſive *di Caſtel Gandolfo*, ob oppido hujus nominis illi imminente.

13. *Lacus Aricinus*, teſte Plinio exſiccatus. jamdiu, ante ipſius Plinii ætatem, fuit in convalle quæ hodie dicitur *Valle Riccia*. ab Cynthiano oppido in Aricinos & Ardeates campos deſcendentibus occurrit. Tertius fuit ab Albano & Nemorenſi Lacu, de quo jam ſic:

14. *Lacus Nemorenſis*, dictus etiam aliquando *Aricinus* & *Albanus* a Poetis, propter eorum oppidorum viciniam, in qua erat. *Speculum* quoque *Dianæ* a Fabulatoribus appellatum; ob fabulas Dianæ illi appictas, quæ in his Libris explicantur. hodie *Lago di Nemi*.

15. *Marianum* ſive *Marinum*, Marii ſive Mariæ gentis Prætorium, prope Caput Aquæ Ferentinæ; XII. pl. m. ab Urbe lapide, nunc Columnenſium Principum in ditione, vulgo *Marino*.

16. *Mons Albanus* Veteris Latii editiſſimus & longe conſpicuus, templo Jovis Latialis, & Feriis Latinis celeberrimus; Albæ Longæ imminens, & Albanum Lacum ſuis defluxibus perennans; hodie ex cavitate vallis quam exhibet, Romam verſus, vulgo dicitur *Monte Cavo*.

17. Ne-

17. *Nemus Dianæ*, *Dianium*, *Artemiſium*, *Nemus* ſine addito, Lucus ſive Sylva Dianæ ſacrata ab Aricinis priſcis, ad Lacum inde *Nemorenſem* cognominatum. Ab illo Aricia *Nemoralis* dicta fuit. ipſum apud Nemus e veterum villarum ruinis excitatum oppidum ejuſdem nominis, quod barbarice *Nemo*, vernacule autem modo *Nemi* appellamus.

18. *Villa Domitiani* Cæſaris Romanorum Imperatoris XII. ſeu *Albanum Domitiani*, magnificentiſſime exſtructa, cum Amphitheatro & Theatro, & Templo Minervæ aliiſque ædificiis plurimis vaſti operis. Complexa creditur ea loca ubi nunc apud Caſtrum Gandulphi ſedet Domus Franciſcanorum, vulgo *li Riformati di Caſtello*, & *Villa Barberina*. Aquæductus veſtigia opere ac ſpecu ſubterraneo antiquo adhuc ibidem exſtant. ex quo inſtaurato, aqua in ipſam Barberinorum villam & Gandulphi Caſtrum, ac Pontificias in eo Ædes nunc quoque influit.

19. *Villa Publii Clodii*, qui a Milone occiſus eſt, ſive *Albanum P. Clodii*, ſub Albano Monte, inter Albanum Pompeji & Templum Bonæ Deæ ac ſuburbanas Bovillas fuit. ejus inſanarum ſubſtructionum & molium rudera & areas, Eruditi Viri nonnulli putant, ad hunc diem conſpici apud Caſtrum Gandulphi, in villis Collegii Hibernorum, & Tyrocinii Romani Soc. JESU. modo *Vigna degl' Iberneſi*, *e del Noviziato di S. Andrea a Monte Cavallo*, *preſſo Caſtello*.

20. *Sabellium Caſtrum* ab Albano oppido paſſus mille pl. m. diſtans in Meridiem, Sabelliorum regulorum Romanorum nobiliſſimorum olim in ditione ſimul cum ipſo Albano oppido fuit; a quibus nomen deſumſit *Caſtel Savello*. Villam hic peramœnam & ornatam ædificaſſe dicitur Ludovicus Scarampus Mediarota Patavinus Cardinalis, ſacro bello & triumpho inſignis, ſub Eugenio IIII. & Paullo II. domo Venetis, Summis Pontificibus. Quamquam id apud Caſtrum Gandulphi factum ab Ludovico alii memorent.

21. *Sepulcra Horatiorum & Curiatiorum* trigeminorum, aliter *Campus Horatiorum ſacer*, ad quintum ab urbe Roma lapidem, juxta Foſſas Cluilias fuerunt, Livio teſte. quinque locis diſpoſita cum intervallo, prout pugnatum erat, & quiſque ceciderat. ſcilicet Curiatiorum Albanorum tria primo; ac deinde Albam propius, Horatiorum duo. quibus Campus in quo ſepulti, conſecratus, *Horatiorum Campus ſacer* dictus eſt. Loco nomen nunc *Caſale Rotondo*, in Via Albana. Hæc ſepulcra perperam ab imperitis nonnullis ſita exiſtimantur ultra Albanum oppidum, quinque pyramidibus eodem ſolio erectis, juxta Deiparæ Templum, vulgo *la Madonna della Stella*. quod falſiſſimum eſſe, in his Libris oſtenditur.

VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER DUODECIMUS

DE ALBANIS

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Albæ Longæ Conditore, & Situ.

LUSTRATA jam Veteris Latii omni ora maritima; quantumque per denſiſſimas Antiquitatis tenebras veſtiganti licuit, eadem hactenus illuſtrata; ad mediterranea regionis hujuſce noſtræ, quam deſcribendam ſuſcepimus, loca denuo redimus. Et, quandoquidem Laurentinis & Oſtienſibus, quos proximis Libris recenſuimus, contermini olim fuere, hodieque ſunt, Albani, atque Aricini, Veteris Latii celeberrimi populi; ad hos,

eorumque monumenta, pro viribus, illuſtranda, hic jam aggredimur.

Itaque, Veteris inter Latii populos, dominatu ac rerum geſtarum gloria celeberrimi fuerunt Albani. Horum urbs Alba Longa, Priſcorum Latinorum princeps & caput, ſedes quoque Latinorum Regum fuit, donec ab Romanis, Albanorum ipſorum colonis, diruta, non antea regnum quam muros ſedemque ipſam ſimul amiſit. Albæ Longæ Latinorum urbis principis ad Aſcanium Trojanum, Æneæ filium, inter Scriptores omnes, Hiſtoricos pariter ac Poetas, ceteroſque quoslibet, originem referendam eſſe, conſtantiſſime fere ſemper convenit. Triginta, ſcilicet, annis poſt Lavinium ab Ænea patre conditum, juxta oraculi prodigiique effatum ac viſum, Aſcanius Julus, ſive Euryleo, Albam urbem condidit; in dorſo Montis, & ſupra Lacum, qui ab urbe *Albani* poſtea ſunt appellati. *Longam* vero idem conditor cognominavit, eo quod *per longum* in dorſo ejuſdem montis illam ædificaverat; ne aſpera nimium aſcenſu deſcenſuque redderetur; utque procul proſpicientibus majori majeſtate, pulchritudine atque elegantia appareret. Quod etiam factum, quis dixerit, ut ab aliis cognominibus urbibus, quæ *Albæ* vocabantur, hæc, *Longæ* vocabulo diſtingueretur. Siquidem & apud Marſos Alba fuit antiquiſſima urbs, quæ, quod ad Fucinum Lacum ſederet, *Alba Fucens*, ſive *Fucentia*, ſæpenumero eſt appellata: quamquam & *Alba* ſine addito, vocaretur. Sed jam hæc omnia optimorum Auctorum teſtimoniis firmare atque adeo confirmare, opportune, juvat. Ac Livium quidem, Latinæ Hiſtoriæ ſcriptorem facile principem, merito primum omnium proferimus. Hujus hæc verba: [a] *Aſcanius*, *ab-*

a *lib.* 1.

abundante Lavinii multitudine, florentem jam, ut tum res erant, atque opulentam urbem matri, seu novercæ, reliquit. Novam ipse aliam sub Albano monte condidit; quæ ab situ porrectæ in dorso urbis, Longa Alba *appellata. Inter Lavinium & Albam Longam Coloniam deductam, triginta ferme interfuere anni.* Consulto ait Livius, quod Ascanius urbem Lavinium Laviniæ *matri* aut *novercæ*, reliquit. alii enim illum Æneæ filium ex Creusa Trojana Priami Regis, alii ex Lavinia Aborigine, sive Latina, Latinique Regis filia, commenti sunt. Ceterum, Auctor Libri qui est de Origine Gentis Romanæ, eadem ferme cum Livio de Albæ Longæ conditore ac situ, ita habet: *Ascanius, completis in Lavinio triginta annis, recordatus, novæ urbis condendæ tempus advenisse, ex numero porcorum quos pepererat sus alba; circumspectis diligenter finitimis regionibus, speculatus montem editum, qui nunc ab ea urbe quæ in eo condita est,* Albanus *nuncupatur, civitatem communiit: eamque ex forma, quod ita in longum porrecta est,* Longam; *ex colore suis* Albam *cognominavit.* Porro, hujus suis prodigium diserte satis Varro, Dionysius atque Virgilius explicavere. Nam, *b Sus Æneæ,* inquit Varro de Re Rustica, *Lavinii, triginta porcos peperit albos. itaque quod portenderat, factum triginta annis, ut Lavinienses condiderint oppidum Albam.* Et fusius quarto Linguæ Latinæ libro, *Oppidum,* inquit, *Lavinium a Latini filia Lavinia adpellatum. hinc post triginta annos oppidum alterum conditur: id ab sue,* Alba *cognominatum. Hæc e navi Æneæ cum fugisset Lavinium, triginta parit porcos. ex hoc prodigio, post Lavinium conditum annis triginta, hæc urbs facta; propter colorem suis, & loci naturam* Alba Longa *dicta.* Hujus suis prodigium atque portentum ita, ex oraculo Tiberini fluminis ad Æneam, Virgilius est persecutus: *c*

b *lib. 2. c. 4.*

c *Æneid. l. 8.*

Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit
Alba ſolo recubans; albi circum ubera nati.
Hic locus urbis erit; requies ea certa laborum.
Ex quo, ter denis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Dionyſius tamen Conditorem Albæ, ſitumque ubi primum condita eſt, optime omnium ac diſertiſſime demonſtravit. utpote qui diligentius Romanarum rerum antiquitates ac principia, quæ ex Latinorum Veterum rebus maxime conſtabant, fuerit perſecutus; veluti nos in noſtro hoc Opere facimus: neque, ut ceteri auctores, in unius urbis Romæ amplificanda potentia tantummodo incubuerit. In qua dum illi, ferme unice, immorantur; vetera Priſcorum, qui ante Romam Conditam floruere Latini, per ſummum neglectum, ingrato fere omnia ſilentio penitus obruerunt. Itaque Dionyſius de Albæ Longæ Conditore, conditæque tempore ac ſitu, *d* ſic: *Trigeſimo anno poſt conditum Lavinium, aliam urbem ex oraculo Æneæ reddito, Aſcanius filius ejus condidit. translatiſque Lavinienſibus & aliis Latinis, quibus commodius habitare placebat, in recens conditam urbem*; Albæ *ei cognomen impoſuit. additumque eſt cognomen ex ſitus forma; ut diſcerneretur ab altera ejuſdem nominis: ac veluti compoſito vocabulo*, Alba Longa *nominatur. Nunc ea deſerta jacet. quippe, regnante Tullo Hoſtilio, quoniam videbatur cum ſua Colonia de principatu contendere, ſolo æquata eſt a Romanis. civeſque ejus urbs Roma, deſtructa matrice, intra ſua mœnia recepit. Verum hæc evenerunt poſtea. olim cum ædificaretur, apud montem & lacum exſtructa eſt. ita uti medium, inter utrumque, obtineret ſpatium. ac veluti muri uterque urbem tuebantur, ne facile caperetur. nam & mons admodum*

d *Antiq. Rom. l.* 1.

dum altus, ac natura munitus eſt; & lacus profundus ac magnus: ex quo, reductis clauſtris, in ſubjectos agros aqua diſpenſatur, quantum ejus volunt incolæ. His conſona ſunt hæc Virgilii de Conditore, ex perſona Jovis ad Venerem: [e] *regnum a ſede Lavini*

e *Æn. L.* 1.

Transferet, & Longam multa vi muniet Albam.

& ipſe Maro: *f*

f *L.* 5.

Hunc morem, hos curſus, atque hæc certamina primus
Aſcanius, Longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos.

& ex perſona Anchiſæ, Æneam filium apud Inferos alloquentis: *g*

g *L.* 6.

Unde genus Longa noſtrum dominabitur Alba.

Virgilio concinunt Ovidius: *h*

h *Faſt. l.* 2.

Sed procul e Longa veniebat Julius Alba.

Tibullus: *i*

i *Eleg.* 5. *l.*2.

Ante oculos Laurens caſtrum, muruſque Lavini eſt,
Albaque, ab Aſcanio condita Longa duce.

atque Propertius: *k*

k *El.* 1. *l.* 4.

Et ſtetit Alba potens, albæ ſuis omine nata.

Statius etiam in Carmine quod ſuper tumulo patris ſcripſit, quem juxta villam ſuam Albanam, in Albano ſcilicet agro ſitam, ſepulcro intulerat, eadem de Albæ Conditore confirmat: *l*

l *Silv. l.* 3. *Carm.* 3.

Vix hæc in munera ſolvo
Primum animum, tacitiſque ſitum depellere curis,
Nunc etiam labente manu, nec lumine ſicco,
Ordior, adclivis tumulo, quo molle quieſcis
Jugera noſtra tenens, ubi poſt Æneïa fata
Solatus Latiis ingeſſit montibus Albam
Aſcanius; Phrygio dum pingues ſanguine campos
Odit, & infauſtum regnum dotale novercæ.

& Juvenalis, de Catulli navigatione: *m*

m *Sat.* 12.

Tum gratus Iulo,

Atque

Atque novercali ſedes prælata Lavino,
Conſpicitur ſublimis apex; cui candida nomen
Scrofa dedit; lætis Phrygibus mirabile ſumen;
Et, numquam viſis, triginta clara mamillis.
Tandem intrat poſitas incluſa per æquora moles
Tyrrhenamque Pharon.

n *cap.* 8. Solinus quoque in terrarum orbis deſcriptione: *n Conſtituta ab Aſcanio Alba Longa.* Denique de eodem,

o *Lib.* 5. Strabonis iſta ſunt verba: *o* Αἰνείας δὲ τελευτήσαντος, τὸν Ασκάνιον φάσιν, Ἄλβαν κτίσαι ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, διέχοντι τῆς Ῥώμης τοσοῦτον, ὅσον καὶ ἡ Ἀρδέα. ſcilicet: *Æneæ, vero, defuncto, Aſcanium, ajunt, Albam condidiſſe in Albano monte, diſtante ab Roma tantum, quantum Ardea.*

Ex hactenus igitur recitatis Auctorum teſtimoniis, Aſcanium, Æneæ Trojani filium, Albæ Longæ Conditorem, ferme unanimi veterum conſenſu, ſemper habitum fuiſſe, plane conſtat. Ferme, inquam, unanimi; nam & qui diſſentiret, non defuit; Albam Longam ante ipſa Trojana tempora conditam putans, aut certe ab Aboriginibus & Pelaſgis, ſub ipſum fere tempus quo Æneas in Italiam veniſſe traditur, ut ex Cluverio colligimus. Quamvis hæ, ſingulares ac minus probatæ ſententiæ ſemper fuerint ab ceteris ſcriptoribus, maxime vero Latinis, exiſtimatæ. Situs quoque in quo fuerit condita, ab iiſdem ſatis aperte deſcribitur; nempe in Monte, qui poſtea ab illa *Albanus* eſt dictus; Montis jugum inter & Lacum. Porro, Monti nunc nomen apud accolas *Monte Cavo*, ex cavo ſinu quem latiſſime in deſcenſu, Romam verſus, præſefert; Lacui vero *Lago di Caſtel Gandolfo*, ab oppido hujus nominis ipſi imminente. Quamquam autem a primis uſque Romanorum temporibus diruta Alba Longa, & exciſa per ipſos Romanos fuerit; ac veſtigia fere nulla

ejus

ejus ruinarum, tot poſt evoluta ſæcula, jam ſuperſint; ex iis nihilominus quæ de ejus ſede ſcriptores memorarunt, collocatam fuiſſe in eo Albani Montis dorſo prudenter conjicimus, atque adeo aſſerimus, qui ſupra Lacum, Romam verſus, in Meridiem atque Occidentem Solem proſpicit; ubi nunc Columnenſium villula, vulgo accolis *Palazzolo*; non longe a via quæ Velitras ac Neapolim demum ducit. Huic loco, infraque ultraque ipſum, rudera veterum ædificiorum; quamvis exigua, ac nullius jam formæ ac figuræ; non deſunt. Loco eidem dorſum Albani Montis altius, ſive jugum, imminet; Lacus Albanus ita adjacet, ut pro muris plane illi eſſe poſſint. quod de Albæ Longæ urbe Dionyſius ſatis diſerte memorat. Locus idem & *in monte eſt, & in dorſo montis*, ut de Albæ ſitu tradunt ſcriptores. poteſt etiam *ſub Albano monte* commode appellari; quod inquit Livius; cum altior montis pars ipſi immineat. Ceterum, diſtantia quoque ejuſdem ab urbe Roma eadem deprehenditur quam Strabo in Albæ Longæ deſcriptione aſſerebat: quantum, ſcilicet, Ardea Roma diſtabat. Ardeam autem viginti circiter millia paſſuum diſtaſſe ab Urbe, in noſtro de Ardeatibus Libro, jam oſtendimus; Albanumque Montem, immo vero hoc Albani Montis dorſum, quem locum Albæ urbis fuiſſe dicimus, mille paſſus totidem diſtare deprehendimus. Quare nullum, prudenti quidem viro atque erudito, & hactenus narrata atque diſcuſſa integre perpendenti, dubium jam eſſe poteſt quin hoc loci condita ab Aſcanio fuerit Alba Longa.

Nihilo tamen minus, nonnulli, per ſummum certe ac pinguiſſimum errorem, eo loco fuiſſe crediderunt Albam Longam ubi nunc oppidum Albanum

num, *Albano* vocatum, visitur. In hunc errorem deterioris ævi negligentiores scriptores aliqui posteros induxerunt. Siquidem Albanos populos, jam inde ab Tulli Hostilii Romanorum Regis tertii ætate excisos, ac Romam translatos, hi auctores, quarto demum Christi sæculo, nominare non dubitarunt. In quibus Eutropius & Servius. Verum nullius omnino ponderis horum est auctoritas; nullumque prorsus ex ea robur falsæ opinioni, quod Albanum, præsens oppidum, antiquæ Albæ Longæ locus fuerit, addi potest. Cum hic locus duobus minimum milliariis ab Monte Lacuque Albano distare cernatur; in ipso antiquæ Appiæ Viæ limite; ab Urbe autem mille passus antiquos, juxa Cluverii calculum, haud plus duodecim abesse. quæ discrimina satis superque illum ab Albæ Longæ situ distinguunt, atque secernunt. Quod autem in præsentis Albani oppidi, sive urbis Albani, porta, civium studio, simulacrum albæ suis cum triginta porcellis insculptum videatur; id nihil veritati officit. Siquidem *Albanenses* (ita enim hujus oppidi incolæ nominari, non *Albani*, consuevere) in Agro Albano, nempe Albæ Longæ, siti sunt; & quidquid vetustissimæ illi urbi proprium atque memorabile accidit, id tamquam ad se quoque spectans usurpare non immerito possunt. licet non eo loco Albanum oppidum sit collocatum ubi olim Alba Longa. Quod & hactenus est demonstratum; & clarius etiam infra, ubi de Albano Pompeji mentio fiet (quod demum Albanum oppidum præsens est) pluribus ostendemus.

CAPUT II.

De Albanorum Regibus, & Albæ Longæ urbis excidio.

CONDITA, ſicut hactenus narratum eſt, Alba Longa, Aſcanius in ea regnum annos octo & triginta obtinuit. Brevique non in Albanos ſolum, & Lavinienſes ac Laurentes, verum in univerſum Latium Alba urbs dominationem extendit. Albanique reges iidem ac Latini reges vocati. Colonias quoque ſuorum in alia dimiſit oppida, ac noviſſime omnium, in Saturniam, Antipolim, & Pallantium, loca ubi Romæ poſtea ſedes fuit. Convenit namque ſatis inter ſcriptores omnes, Romam urbem, cui par eſt nihil, & nihil ſecundum, Albanorum Coloniam, per Romulum ac Remum, Numitoris Albani regis ex Ilia Herſilia nepotes, deductam. Hinc Virgilius optime: *a*

genus unde Latinum,
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.

a *Æn. L.* 1.

Porro, Albanorum regnum ab Albæ urbis origine ad ejus uſque excidium, quadringentorum annorum fuiſſe, tradidit Livius. Quamquam Dionyſius, minutior vetuſtorum temporum calculator, quingentorum, minus tredecim, annorum idem fuiſſe, prodiderit. Quos inter auctores diſſidium ſuper eo calculo, facile componemus, ſi Livium centenarios tantum numeros, ut multis eſt moris, recenſere voluiſſe, dixerimus. Jam vero, Albanorum regum, eodem ex Dionyſio, hæc ſeries. Aſcanio, Æneæ ac Creuſæ Priami regis Trojanorum

filiæ filio; poſt trigeſimum octavum regni annum defuncto; conſanguineus frater ſucceſſit, ex Ænea & Lavinia Latini regis. Huic nomen, ex educationis loco, *Silvius*. Ferunt enim, rapto ad Numicium amnem Ænea, ut primum rerum Aſcanius potitus eſt; Laviniam ex Ænea uterum ferentem, externi privigni ſive dolos, ſive apertam vim veritam, e regia Laurenti, clam omnibus, in avias ſilvas ſeſe abdidiſſe. Ignotamque in eis latuiſſe tamdiu, donec puerum eniteretur. quem, in ſilvis natum, in ſilvis pariter educatum, convenienti vocabulo, *Silvium* appellavit. Hunc Lavinii primum cum Lavinia matre regnaſſe aliquamdiu, tradunt. Cum enim Aſcanius, ex Lavinio Albam Longam, Latinorum regnum traduxit, Laviniæ novercæ & fratri Silvio ejus filio quæſitis jam a Laurentibus, Lavinienſibus ceteriſque Latinis omnibus; & a Tyrro ſubulco regio, cui Lavinia ſeque ac puerum, tamquam vulgarem quamdam fœminam, alendam ac protegendam crediderat, regia, ut erant, de ſtirpe detectis; ne quod occultæ eorum cædis crimen in ipſum Aſcanium rejiceretur, liberas Lavinii urbis ſedes reliquit. In quibus relictum quoque populum, quamvis exiguum atque minutum, nobilioribus pleriſque omnibus ſecum in novam urbem aſportatis, Laviniæ & Silvii dominationi permiſit. Sic tamen, ut Lavinium urbs; quæ Albæ mater fuerat; ſupremum hujuſce ſuæ filiæ in ſe dominatum agnoſceret. Defuncto autem Aſcanio; tunc demum Silvius illi in univerſi Latii regno ſucceſſit. Nec tamen æmulo caruit. Julus, Aſcanii Juli filius, in patris locum regem ſe creari expoſcebat. Sed eam litem, ſine armis, pacifice populus diremit, juſto ſuffragio; præter ceteras, hac

præ-

præcipue ratione permotus; quod Silvius matre herede regni foret creatus. Profecto, Julo, Aſcanii filio natu majori, pro regni ſucceſſione, ſacerdotium decretum eſt; quod honorificentiſſimum in Julia gente, Romam tradu&ta, & Romæ florente quam maxime, diutiſſime perſeveravit. Ab Silvio Latini reges reliqui, qui Albæ regnaverunt, una cum proprio ſingulorum nomine, *Silvii* etiam dicti ſunt. Porro Silvius, cum undetriginta annis tenuiſſet imperium, Æneam Silvium filium heredem reliquit potentiæ; quem regno ac vita alter a trigeſimo annus exemit. Poſt hunc, quinquaginta & unum annos regnavit Latinus Silvius. Poſt quem Alba Silvius, minus uno, annos quadraginta. Albam, viginti ſex annorum regno, Capetus excepit. Capys exinde per annos duodetriginta. Calpetus, poſt hunc, in regno annum explevit tredecimum. Octavum vero, ſucceſſor ejus, Tiberinus. Hic flumine abſorptus, quod Latinos ab Hetruſcis & Sabinis diſterminat, *Albula* prius vocato, cum periiſſet; auctor nominis *Tiberini* eidem exſtitiſſe fertur. Tiberino ſucceſſit Agrippa; regnavitque annos unum & quadraginta. Mox Alladius, quem alii Aremulum, ſive Remulum, vocant, Latinorum Albæ regnum obtinuit. Qui, vir impius quod eſſet, & numinum ac religionum contemtor, cumque Jove ipſo de fulminum poteſtate ſuperbiſſime vellet contendere; fulmine, ſimul cum regiis ædibus in lacum Albanum dejectus, miſerabili fato, ac memorabili exemplo, periit: cum, tyrannico imperio Latinos, per annos undeviginti oppreſſiſſet. Aventinus poſt eum regnavit; a quo uni ex urbis Romæ Collibus, ubi ſepultus, *Aventino* factum eſt nomen. Poſt cujus triginta ſeptem annorum regnum, Pro-

ca viginti tres imperavit. Hunc proxime ſecutus Amulius, Numitore fratre natu maximo per vim pulſo, quæſitum tanta injuria, regnum annos quadraginta duos tenuit. Poſt hunc, cæſum a Romulo & Remo, Veſtali ex virgine natis, ut mox dicetur, legitimum regnum ad Numitorem, maternum juvenum avum, rediit. Sequenti autem anno, quo Numitor ſuum regnum auſpicatus eſt; poſt Ilium captum CCCCXXXII. Albani, Romuli ac Remi ductu, Coloniam miſerunt Romam. Olympiadis ſeptimæ anno primo, juxta calculum quidem Dionyſii. Porro, poſt Numitoris regnum, nullus amplius Latinorum Albæ Rex conſtanter a veteribus auctoribus nominatur. Duo enim ſupremum Reipublicæ Latinorum, ſeu Albanorum melius, magiſtratum adminiſtrantes alius poſt alium, *Dictatores* ſæpius apud illos nominantur; Cluilius ſive Cloelius, & Metius Suffetius aut Fuffetius. ſub quo deſiit Albanorum imperium, & urbs ipſa Alba Longa ab Romanis exciſa fuit. Cluilius autem Regis nomine ter apud Livium appellatur, quamvis Dictator idem Dionyſio & reliquis nominetur. Cum tamen & Cluilius & Fuffetius Tulli Hoſtilii Romanorum Regis tertii æquales fuerint; alii ſive Dictatores, ſive Reges, per totum Romuli ac Numæ Pompilii regnum, Albæ rerum ſumma potiti, neceſſario dicendi ſunt. Quos tamen priſci ſcriptores in Romæ exordiis, cunabulis, atque incrementis poſterorum memoriæ mandandis, toti atque unice intenti, per oblivionem atque incuriam nominare prætermiſere. Ceterum, allatam huc regum Albanorum ſeriem ex Dionyſio, ab aliis aliter computari, & recenſeri, non ignoramus. Hic tamen Livii, Ovidii, Euſebii, Auctoris Libri qui de Origine Gentis Romanæ inſcribi-

bitur, Syncelli, & poſt hos, recentiorum plurium eruditorum ſcriptorum variantes de regibus Albanis ſeries minime repetemus; quod ea omnia teſtimonia, Libro hujus Operis primo, *b* cum de Gentis Latinæ, in univerſum, monumentis ageretur, diligenter allata fuerint. Dionyſii vero calculum ac narrationem ideo ceteris anteferimus, quod hic auctor, & antiquior pleriſque aliis, & omnium, in temporum ſupputatione, ſit exactiſſimus. Virgilii tamen de Albanorum regum ſerie teſtimonium, quandoquidem cum ceteris, in primo Libro nuper memorato, recitatum non fuerat, addendum. Itaque ex perſona Anchiſis, ſive Anchiſæ, Æneam filium alloquentis apud Elyſios, eique futuram poſterorum ſuorum ſeriem præſagientis, & oſtendentis, reges Albanos Maro ſic numeravit: *c*

b *Cap.* 6.

c *Æn.* 6. *v.* 760.

Ille, vides? pura juvenis qui nititur haſta,
Proxima ſorte tenet lucis loca: primus ad auras
Ætherias, Italo commiſtus ſanguine ſurget
Silvius, Albanum nomen, tua poſthuma proles.
Quem tibi longævo ſerum Lavinia conjux
Educet ſilvis regem, regumque parentem:
Unde genus Longa noſtrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas Trojanæ gloria gentis,
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddet
Silvius Æneas, pariter pietate vel armis
Egregius, ſi umquam regnandam acceperit Albam.

Hæc regum Albanorum enumeratio conciſa ſane, mutila & manca, nulloque ordine, niſi poetico, concinnata eſt. Quod tamen, Poetæ ad laudes Romanorum & Auguſti Cæſaris præcipue, properanti concedunt omnes. Illos namque ex iis regibus tantum enumeravit quos voluit; quoſque ornandos, in gratiam ſui herois Æneæ, commemorando ſingu-

gulariter, exiſtimavit. Jam vero, Albanorum regum domi militiæque geſta haud minus fabulis commentiſque incertiſſimis involuta omnia, quam ſeries eorumdem atque ætas, fuere. Quorum pelagus, utpote ſyrtibus ſcopuliſque mendaciorum ad ſeſe expediendum implicatiſſimum, ac difficillimum, non intrandum potius omnino, quam veſtigandum, prudenti ſcriptori, puto. Quæ de moribus & ornatu eorum paucula ex probatis auctoribus monumenta ad nos pervenerunt, eodem primo *d* hujus Operis Libro recenſita habes. Scilicet, intonſos illos & capillatos inceſſiſſe; trabeatos quoque, nempe trabea, quæ veſtis regiæ genus fuit, ſuccinctos; Lænis etiam, Latis Clavis, Togis prætextis, ceteriſque veſtibus, quas Romani poſtea, ab ipſis mutuati, celeberrimas apud ſcriptores omnes reddiderunt. Calceorum quoque, quos *mulleos* dixerunt, genere uſos, quibus lunulas ad conſtringendum adnectebant, alioque cultu atque ornatu, qui ibidem ſingillatim deſcribitur.

d *cap.* 7.

Ceterum, Albanorum regum virtus in condendis novis urbibus, vel Coloniis ſuorum in alias jam conditas deducendis, enituiſſe plurimum, perhibetur. Dionyſius enim, Albam, quando exciſa eſt, triginta Coloniarum matrem & caput exſtitiſſe, prodidit. quas vel ipſa de novo urbes condiderat, vel, ſuorum manipulis eo deductis ad inhabitandum, ſuas effecerat. Alias alii multo plures enumerarunt. Hæ intra Veteris Latii fines comprehenſæ fere omnes, circaque Albam fuiſſe videntur. at earum pleræque, exciſæ ſine veſtigiis, ab ipſa jam Plinii ætate, perierant. Ex Albanorum Coloniis has apud Virgilium legimus: *e*

e *Æn. L. 6. v. 772.*

At, qui umbrata gerunt civili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum & Gabios, urbemque Fidenam,

Hi

Hi Collatinas imponent montibus arces,
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque Coramque.
Hæc tunc nomina erunt: nunc ſunt ſine nomine terræ.

Fidenas autem & Antium ab Aſcanio, præter Albam, Solinus conditas memorat. At vero, Latinum Silvium, Prænestem, Tibur, Gabios, Tuſculum, Coram, Pometiam, Locros, Cruſtumium, Cameriam, Bovillas, Nomentum, Collatiam, Caſtrum Inui, & Bolam Albanorum Coloniam deduxiſſe, ceteroſque reges Albanos oppida plura. Certe cum urbes jam eſſent, Albanis colonis frequentatæ ſunt Tuſculum, Antium, Circæjum, Labici, Prænestе, Gabii, Cora, Setia, Lanuvium, Lavinium, Laurentum & Locri. Quam urbem, ajunt, a Locro, Phæacis filio, & viro Laurinæ, Latini antiqui Latii regis filiæ, conditam; ſi Cononi apud Photium credamus. Alia tamen fuit hæc urbs ab Locris in Corcyra inſula. Siquidem Locri, Albanorum Colonia vetuſtos Latii fines non exceſſere.

Quonam vero pacto Romulus ac Remus Albanæ regiæ ſtirpis germani fratres ſuorum Coloniam deduxerint ad loca circa Tiberim, quæ Palantium & Evandria ſive Evandri Urbs dicebantur; tenuiſſimiſque ab horum exordiis prodierit illa inclyta Roma, quæ imperium terris animos æquavit olympo, rerum Romanarum ferme innumeri, veteres novique, Græci, Latini, ac Barbari, ſcriptores omnes memoriæ ſatis abunde prodiderunt. Quare notiſſimæ jam lippis ipſis atque tonſoribus narrationi repetendæ parcendum. Illudque tantum commemorandum: noviſſima hæc Albanorum Colonia Roma, quomodo matrem ſuam Albam Longam exciderit tandem, atque deſtruxerit. Itaque, regnante Romæ Tullo Hoſtilio, Romanorum regum tertio, Cluilius

lius Albanorum Dictator diuturnam, hactenus, Romanos inter atque Albanos sanctissime sub Rege Numa conservatam pacem, homo turbulentus ac novarum rerum cupidus, æmulæque jam Romæ impatiens, tentare dolo malo, caussisque de industria quæsitis, cœpit. Prædones proinde in agrum Romanum, paucis suorum consciis, immisit, qui prædas agerent, ac pecora abigerent. id certe Romanos quiete minime perlaturos. ex eorum autem querelis optatam justi, in speciem, belli occasionem emersuram. Neque illum, quamvis maximo patriæ suæ malo, fefellit opinio. Romani namque, mox ut publice privatimque de Albanorum in suos agros actis prædis conquerentes cives rescierunt, Tullum, ut ad res repetendas, auctoresque injuriæ delendos, in Albanos agros exercitum emitteret, impulerunt. Quod ubi factum est; resque Romani non modo suas recuperarunt, verum etiam Albanorum hostium deprædaverunt, cæsis partim, partim vero vulneratis latronibus; Cluilius Dictator, Albanorum Patrum Senatu coacto, vulneratos suos cæsorumque propinquos, ut miserabili spectaculo, insolabilibusque querelis, ad ultionem atque odium in Romanos moveret, infestissima, ad justum in speciem bellum, omnes oratione incendit. Ceterum, de reddenda præda auctoribusque ejus injuriæ tradendis, Legatos Cluilium quantocius Romam ad Tullum regem, ut facto quid optimum foret, amice primum disquireretur, missurum. At Tullus, quando se dolis ab Albano Dictatore circumveniri sentiebat, clavo clavum pellendum ratus; dolos ipse quoque dolis oppossuit. Edicit itaque suis, ut Legatos Albanorum, simul ac Romam venerint, dies aliquot humanissimo primum hospitio excipiant; de-

mo-

morenturque, ne ad ſeſe Regem Cluilii mandata perferant, tamdiu, donec ipſe ſuos Legatos Albam mitteret, illique Romam inde reverſi eſſent. Porro, dum Legati Albani conviviis, ludis, ceteriſque ejuſmodi deliciis apud Romanorum Senatorum præcipuos detinentur; donec Tullus ſtata certa ſacrificia, quæ nefas præterire, diis faciat, (hoc obtentu rem obvelare, ne proſpiceretur, aut ſuboleret, jam convenerat) quibus rite peractis, illos, ſuorum Legationem expoſituros, commodius & opportunius admittat; Legati Romani cum fœcialibus & ſacerdotibus Albam veniunt; icti fœderis jam ab ipſo Romulo, inter utrumque populum, Albanos primos violatores accuſaturi; bellumque primi illis rite indicturi. Niſi enim id Albani præſtiterint quod fœdus ſanciverat; rite illis Romanos, ut fœdifragis, bellum indicere. Ad hæc Albani, inſcii adhuc tecti doli; Romanos enimvero fœdifragos cum maxime eſſe; qui, Albanis Legatis Romæ degentibus adhuc, novos ipſi Legatos Albam, non autem reſponſum, ut par erat, remiſerint. Romani vero: Ecquod, nihil adhuc petentibus Legatis Albanorum, reſponſum ab Tullo dari potuiſſe? referebant. Quare conventum eſt illico, ut qui populus prior alteri per ſuos Legatos Legationem expoſuiſſet, nec fuiſſet auditus; is merito in alterum, jure belli, exinde ageret. Quo pacto inito, ac per jusjurandum & ſolemne ſacramentum rite peracto; Romani domum rediere; ac tum denique Albani Legati ab hoſpitibus ad Tullum in Curiam introducti, Cluilii Dictatoris, & Albani Senatus Regi mandata proferunt. Quibus nil aliud reſponſum, quam violati per omnia ab Albanis fœderis, deos teſtes fore; quos juſto ſuſcipiendo præſides, in proditores ac

prædones, bello, Romani jam Albæ per ſuos Legatos invocaverant. Id ſimul edictum; ut Albam continuo, extra fines Romanos, Legati Albanorum properent, imperatur. Quibus ita geſtis, bellum uterque populus ſpectare, & ad arma ſeſe comparare, validiſſime, ut tum res erant, occepit. Nec jam, de præda, aut prædonibus, pauciſque abactis pecoribus erat quæſtio; verum generoſa utriſque inſita dominandi cupido, æmulationis, præſertim tam prope, impatientiſſima. Turpe enim Albani, Romanos, colonos olim ſuos, tantis incrementis, tam parvo tempore adauctos, ut pæne ſecum de potentia atque imperio certarent; turpe, inquam, ſibi ſuæque antiquitati ducebant. Contra, Romani ſeneſcentis jam, ac prope marcentis longo pacis otio, populi vires excitare atque exercere quærentes; opportuniſſimum id tempus quo & id facerent, & ſimul imperium amplificarent, per eam occaſionem, cenſebant. Inſtructum, itaque, exercitum ſuorum Cluilius eduxit; & ad foſſas, quæ deinde ex ipſo, *Cluiliæ*, vel *Cœliæ* dictæ ſunt, quinto ferme ab Urbe lapide, caſtra metatus eſt. Tullus vero cum ſuis extra urbis Romæ antiquiſſima illa mœnia, opportuno loco, haud ita procul ab hoſtium exercitu conſedit. Verum, vix inter ſeſe exercitus in conſpectu fuere, cum vehemens ille pugnandi ardor, territis utriſque ex improviſo hoſtili multitudine & apparatu, deferbuit. jamque inducias ſpectantibus; Cluilius minime fractus aut repentino ſuorum pavore, aut hoſtium conſpectu, ſub veſperam ejus diei, ducibus cunctoque exercitui, ut poſtera luce ad ſtrenue cum hoſtibus dimicandum parati ſint, conſtanter edicit. Mors tamen Cluilii, ex inopinato, ea nocte interveniens, violento Albanos imperio liberavit. Itaque, primo mane, Cluilius in

ſuo

ſuo tabernaculo inventus eſt mortuus; cum nullus ea ipſa nocte morbus, nullumque morbi ſignum præceſſiſſet. Sed neque veneni, quod pronum ſuſpicari erat, argumenta ulla, diligentem poſt inſpectionem, in cadavere apparuere. Quare, vel occulto naturali fato exſtinctum, vel a ſuis, per occultiſſimum veneni genus, odio imperatæ pugnæ, ſublatum fuiſſe, creditum eſt.

Huic Metium Suffetium, ſive Fuffetium, in Dictatura Albanus exercitus ſtatim ſuffecit; hominem ad Cluilii partes, qua dolis, qua vehementia furoris explendas, unice idoneum. Interea Fidenates atque Vejentes, veteres jam Romani nominis hoſtes, audito quod adverſis frontibus Albanus Romanuſque exercitus ſtabant, jam congreſſuri; conjurationem in utroſque iniere; ut, cum pugna maxime commiſſa ferveſceret, in eos promiſcue, ex inſidiis, occulte in vallibus & ſaltibus, circa locum pugnæ diſpoſitis, impetum facerent; delerentque ambos, a tergo cædentes. Verum, mutato ab Albanis Romaniſque conſilio, irrita Vejentium ac Fidenatium ea reddita conjuratio. Viſum, itaque, Metio ac Tullo ducibus, ut quam minima poſſet ſuorum cæde, uter utri populus imperaret, paucorum aliquo certamine decerneretur. Trigeminos idcirco, qui ex utraque parte militabant, germanos fratres ſtatuunt. quos ſummæ rerum, per ſingulare certamen, arbitros conſtituerent. Albani Curiatii, at Romani Horatii, Curiatiis conſanguinei, fuere. ex his, qui hoſtes interfeciſſent, non modo victores eorum, ſed hoſtilis quoque populi dominos perpetuo evaſuros.

Fœdere ita compoſito, inita pugna. vulneratiſque tribus Albanis, Horatii duo cæſi; uno tantum, attamen incolumi, ac nuſquam vulnerato, ſuperſti-

te. Hic, quemadmodum ſuperiorem ſingulis, ſic tribus ſimul imparem ſe fore ſentiens; arte tentandum, quod aperta vi incaſſum foret, exiſtimans, fugam ſimulabat. Quem dum inconſulte vulnerati Albani perſequuntur; longis intervallis, prout vulneratum alius alio ægrius corpus trahebant, inter ſeſe diviſi ſunt. Tunc vero, verſa fronte Romanus, ſingulos diſtinctis ſpatiis interfecit; ſuiſque in Albanos, ac univerſum Latinum regnum, perpetuo imperium adjudicavit. Quare, ex illo Albani in Romanorum poteſtate fuere. Qui unum ex duobus, conſanguineis ceteroquin, populis facturi; Albanis, ut patriam relinquerent, & Romam ad incolendum concederent, amice primum perſuadere conati ſunt. Mox, ut nihil ſuaſionibus profecerant, id tandem victis a victoribus imperari, edicunt. Grave eſſe ſane Albanis, quod ſolet omnibus, antiquas nativas patriaſque ſedes relinquere; rationeſque complures quibus id facere minime conveniret, proferre. Albam urbem, patriam ſuam, tanto antiquiorem Romana urbe exſiſtere; primamque generis nobilitatem, rituſque omnes ac mores patrios ſemper ſervaſſe; cum ſecus Romani, aſylo aperto, feciſſent. Principatum per ætates octodecim in univerſum Latium Albanos obtinuiſſe; tot oppida vel condidiſſe, vel celebria, colonis eo miſſis, effeciſſe, ſitu amœniſſimo, montem inter & lacum, conditam, in fertiliſſima agrorum parte urbem; ab Aſcanio, denique, Æneæ, gentis quoque Romanæ auctoris ac principis, filio conſtitutam. Ceterum, Tullus Fidenatium jam conjuratione comperta, bellum illis primum, mox etiam Vejentibus inferre deſtinaverat. Quare, Albanis ut præſto ſint, & auxilio ad id bellum, imperat. Hi, Metio Fuffetio Dictatore duce,

ce, acceſſere. Dum tamen Romani Fidenas urbem, ad Anienis ac Tiberis confluentes olim ſitam, totis viribus aggrediuntur; Metius cum ſuis, tamquam pugnæ ſpectator tantum, in propinquos colles recedit. Diſſimulans nihilominus id Tullus, ac, quaſi ipſe imperaſſet, palam jactitans, periculoſo illo conflictu ſeſe feliciter expedivit. Convocato deinde ſuorum exercitu, & Albanorum; Metius, ad gratulandum de victoria, ad regem proceſſit. At hic, inermes Albanos ab armatis occulte Romanis omnes circumdari jubet; interiori gyro ac proxime tribunal, ducibus, ac Metio potiſſimum, corona incluſis. Ita Metii inſidias & machinationes aperit. tum edicit, decreviſſe ſe ex duobus populis, Albano Romanoque ſimul, unum efficere, omneſque Romam traducere. Id ubi ſenſere Albani; ad gemitus alii, alii ad iram commoti, tumultuari incipiebant. At Romanus exercitus occultos juſſu regis gladios aperit; eorumque jugulis, ut quiſque proximus erat, intentat. Eo in veſtigio rex Tullus, Eligite, inquit, Albani, nunc hic ſtantes, quid potiſſimum vobis præſtet; aut hic ad unum omnes jugulatos perire; aut, mutatis tantum ſedibus, Romanos, victorem populum, & gentem ad imperandum natam, vos quoque effici. utque facilius honeſtiſſimam vitam ac feliciſſimam nobiſcum, miſerabili neci, quæ vobis inſtat, præferre poſſitis; patriam veſtram Albam, cujus mœnium ac parietum amori vitam ipſam veſtram ac veſtrorum poſtponere nunc dubitatis, dirutam ad hanc horam, ſcitote. Ego enim M. Horatium victorem, ac triumphatorem veſtrum, præterita nocte Albam præmiſi, cum equitibus, qui eam ſolo, exceptis fanis, præ deorum reverentia, æquaret; populumque omnem veſtrum Romam traduceret. Quare, ne

ſtul-

ſtulte vos ipſos, poſt exitium patriæ, perdere velle pergatis, exhortor. Ad hæc Tulli edicta attonitis & præ doloris magnitudine ſilentibus jam Albanis reliquis; Metius per vim ſeſe exinde expedire parabat. Verum juſſu regis comprehenſum valentiſſimi lictores virgis primo, pæne uſque ad mortem, ceciderunt. Mox ad duas quadrigas manibus pedibuſque loris alligatum, equiſque in diverſa agitatis diſcerptum, memorabile proditoribus exemplum apud poſteros omnes, Tullus conſtituit. Atque hæc Albanorum Principum finis fuit. Interea, præmiſſus cum delectis ad diruendam Albam M. Horatius, properato itinere portas patentes occupat, & incuſtodita mœnia; facileque urbe potitur. advocata inde concione, quidquid geſtum in prœlio fuerat, denarrat, & Senatus Conſultum recitat. petentibus illis dilationem, ut Legatos Romam liceret mittere; ſine mora domos & mœnia, & tam privata quam publica ædificia diruit; ſanis deorum exceptis. ac mox Romam traducit agentem bona ſua ferentemque multitudinem. Eam Tullus, e caſtris in Urbem reverſus, per Tribus & Curias diſtribuit; aſſignato ad ædificandum, qua parte Urbis vellent, ſpatio: agrique publici, quantum ſatis eſſet, diviſit inter eos qui ante opera mercenaria victitaverant; aliis quoque blanditiis ac beneficiis novellos cives in novarum ſedium civiumque charitatem alliciens.

f Lib. 3. *Sic Alba* (Dionyſius *f* inquit) *olim ab Aſcanio, ex Ænea Anchiſæ filio, & Creuſa filia Priami prognato, condita, & per quingentos, tredecim minus, annos habitata; quo tempore multum populi frequentia opibuſque, & cetera felicitate creverat; triginta oppidorum Latinorum mater; & gentis ejus ſemper princeps; a noviſſima ſua Colonia ſolo æquata; hodieque deſerta permanet.* Quæ noviſſima Dionyſii

nyſii verba diligenter adnotent, opus eſt, illi qui Albam Longam, eo loco ubi Albanum hodiernum oppidum ſedet, conditam olim fuiſſe, aſſeverare non ceſſant. Si enim, ad Halicarnaſſenſis Dionyſii uſque ætatem, ſcilicet ſub Auguſti imperio, Alba Longa deſerta permanſit; quo tandem pacto, ætatibus illa ſuperioribus, Albanorum urbem ab ſcriptoribus aliis commemoratam, quaſi reſtitutam, & quidem bellicis rebus florentem, eo loco ubi nunc Albanum, aſſerere cum veritate valebimus? Jam vero his conditionibus Albani Romam traducti ſunt, quas rex Tullus illis in concione exercitus propoſuerat: Ut Albani cives univerſi, ſalvis bonis ſuis, mancipiis, pecudibus, aliiſque poſſeſſionibus, Romæ poſthac domicilium haberent. eorum qui prædiis ruſticis carerent, his agri ex publico Albano dividerentur; iis agris dumtaxat exceptis ex quorum redditibus ſacrificia publica fierent. domus, in aſſignata urbis Romæ a rege parte, ad inhabitandum ædificarentur. ea Cælius Mons præcipue fuit; ubi Tullus regiam habebat: & ſtationes Albanorum quoque militum ſtabilitæ. Egeni etiam inter illos qui eſſent, a Tullo ſumtibus ad opera publica abſolvenda deſtinatis juvarentur. plebes autem civilibus muniis fungendis in Romanas Tribus & Curias diſtribueretur. in Senatum vero, & ad Magiſtratus gerendos admitterentur hæ nobiliſſimæ antiquorum Albanorum familiæ: Julii, Geganii, Servilii, Metilii, Curiatii, Quintilii, Cloelii. Ceterum, cum Albanis Latinum quoque Albanorum regnum ad Romanos tranſivit. quamquam enim diu Latini Albanorum Coloni Romanis parere detrectaſſent; manus tandem dare vi coacti ſunt. Anno, ſcilicet, poſt Albam dirutam quintodecimo, Tullus Legatos ad triginta

Alba-

Albanorum Colonias misit, qui illis ut Romanorum imperata facerent, edixere. Duplici namque jure, Romanorum illas subditas evasisse. Belli quidem uno; quo Romani Albanos Latinæ gentis principes subjugaverant: Civitatis altero; quo Albanis eorum principibus donato, ipsæ quoque Albanorum Coloniæ omnes, unus cum Romano populus effectæ erant. Quamvis autem, ut ajebam, Latini diu sese in libertatem asserere, adeoque servare, Albanorum jam dominatu liberati, conati sint; in jura tamen postremo Romanorum concedere coacti sunt. Ceterum, Tullus de Albanis triumphavit; ejusque triumphus in Triumphalibus Fastis Capitolinis incisus, ex Onuphrii Panvinii recensione, sic legitur:

TVLLVS HOSTILIVS HOSTI F. HOSTI N.
ANNO XXCV. REX TERTIVS
DE ALBANEIS

CAPUT III.

De Albano Pompeji Magni Rure, & hodierna Albani Urbe in ejus ruinis excitata.

QUAMQUAM a primis ferme Romanæ potentiæ temporibus urbs Alba Longa diruta omnino atque exciſa fuerit; nec e ruinis ullo umquam tempore, quod ceteroquin urbibus multis accidit, excitata rursum surrexerit; metu nempe atque invidia filiæ suæ, & Coloniæ, urbis ipsius Romæ, ne iterum æmula de Orbis terræ principatu secum contenderet: viguit nihilominus semper ac floruit Alba-

banus Ager; celebratuſque eſt Romanorum frequentia. Quos inter, principes quique viri villas & prætoria in Albano, magnificentiſſimi operis, exquiſitarumque deliciarum, ſemper habuerunt. quod & veterum teſtimonia, & rudera quæ in hanc uſque diem exſtant, nos apertiſſime docent. quem enim non invitaret tanta Urbi vicinitas, atque opportunitas ruſticandi? quem Albanus ille Mons aeris purgatiſſimi; Albanus Lacus amœniſſimo aſpectu, & frigidis aquarum lavationibus, natatui & piſcationi tam aptus, non traheret? quem denique Albani Agri univerſi felicitas, ac in omne genus deliciarum diſtincta varietas non caperet? Hic enim aptiſſimi Baccho colles, unde Albanum illud tam commendatum vinum exprimitur. hic umbroſæ ac frigidæ Albanæ vallis receſſus, ad furentis Leonis atque Caniculæ fallendos æſtus. hic denſiſſimæ ac vetuſtiſſimæ ſilvæ, aucupiis & venationibus ambulationibus etiam meridianis accommodatæ. Quare, prædia, rura, prætoria, villæ, templa quoque, ſumma religione ac celebritate exculta, & antiquitus, & per hæc tempora, conſtanter in Agro Albano conſtructa ſunt. Quorum monumenta tum demum ſingula recenſebimus, ſi ſemel de Albano Pompeji rure ſeu prædio, in cujus ruinis Albana urbs præſens fuit excitata, hic primum, ut par eſt, diſſeruerimus. Itaque Cn. Pompejus, cognomento Magnus, villam habuit in Agro Albano, quæ *Albanum Pompeji* dicta eſt. Eam fuiſſe eo loco ubi nunc urbs *Albano* ſedet, multa ſuadent. Cicero in primis, in Miloniana, Clodium e rure ſuo Albano, Miloni Lanuvium eunti, ad Appiam Viam occurrentem deſcribens, Albanum Pompeji, juxta viæ ejuſdem limitem, exſtructum nominat. *Videte nunc illum*

(Clodium) *primum egredientem e villa subito. Cur vesperi? quid necesse est? quî convenit? præsertim id temporis. Divertit in villam Pompeji. Pompejum ut videret? sciebat in Alsiensi esse. Villam ut perspiceret? millies in ea fuerat.* Ex quibus obiter nota Albani hujus Pompeji prædii magnificentiam atque delicias, in quo Clodius & Patricii reliqui Romani, principes viri, millies versabantur. Et idem Cicero Attico scribens: [a] *Ego de Formiano Tarracinam: inde Pomptinum sumam. inde Albanum Pompeji. ita ad Urbem.* scilicet hoc antiquæ Appiæ Viæ iter; ut ex Vetustis Tabulis liquet. *Tarracina Forum Appi in Pomptino*, seu juxta Pomptinum. *Tres Tabernas, sub Lanubio, Ariciam*, juxta quam Albanum Pompeji. Plutarchus in Cicerone: Πομπηΐου διατρίβοντος εἰ ἀγροῖς περὶ τὸν Ἀλβανόν. i. e. *Pompejo ruri agente circa Albanum*, scilicet *agrum*, sive *prædium suum*. Fuit enim Romanis solemne, quod a Latinis Priscis utique acceperant, ut rura sive prædia sive prætoria, de loco seu agro in quo sita erant, ita nominarent, ut unica voce id facerent. hoc pacto: *Formianum, Tusculanum, Pompejanum*, ab agro circa Pompejos Campaniæ oppidum, *Aricinum, Tiburtinum, Prænestinum*; & sexcenta ejusmodi, quorum innumera ferme exempla vel unus unicus Cicero passim exhibet. quibus & domini adjunctum nomen aliquando usurpabant: ut *Linterninum L. Scipionis Africani*; *Tiburtinum T. Manlii Vopisci*; *Ardeatinum T. Pomponii Attici*; *Laurentinum C. Lælii & C. Plinii*; *Albanum P. Clodii, Pompeji*, & postea *Domitiani*; aliaque. Porro Albanum Pompeji, de quo nunc, tantæ fuit magnitudinis, tamque vastis molibus in altum exstructum, ut earum rudera condendo Oppido, posterioribus sæculis, suffecerint. Cujus originem, & natale ita dixerim tempus, designare, licet certo nequeamus;

a *Lib.* 7.

illud

illud tamen antiquiſſimum, & vel ipſa Ciceronis, atque adeo Pompeji, ætate cœpiſſe, non inaniter credimus. Quamvis enim Itinerariæ Veteres Tabulæ, & Itinerarium Antonini, Albanum oppidum in recenſione locorum Viæ Appiæ non nominaverint; Itinerarium tamen quod *Hieroſolymitanum* vocatur, illud recenſet ſic: *In urbe Roma. Mu: ad Nonum. C. Aricia & Albano*; cum reliquis in Appia Via olim exſiſtentibus locis, ac diverſoriis. Ne cui autem verba illa: *Mu: ad Nonum*, & illa: *C. Aricia, & Albano* negotium faceſſant; in his Itinerariis Tabulis loca in quibus equi mutabantur, notari is ſciat. *Mu:* itaque *ad Nonum*, *Mutatio equorum*, ſive *Mutantur equi ad nonum ab Urbe lapidem*, ſcilicet *milliare ab Roma*, ſignificat. *C. Aricia* vero, *Colonia Aricia* legendum. Itaque ſubſtructionum Prætorii Albani Magni Pompeji opportunitas, viatorum ultro citroque per Appiam commeantium frequentia, villarum plurimarum, in quibus magnam anni partem tot Romanorum proceres ruſticabantur, vicinitas, Aricinos, Algidenſes, Tuſculanos, alioſque propinquos populos ad Forum quoddam rerum venalium humanis uſibus maxime neceſſariarum, ſive emporium quoddam ac macellum circa Albanum ipſum Pompeji efformandum invitavit. quod poſtea in Oppidum, Urbem denique Chriſtianorum Sacro Antiſtite dignam, excrevit. Quod & Porcii Catonis Villæ in Tuſculano, hodie *Monte Porzio*, & Tuſculano Ciceronis in eodem agro, nobis modo *Grotta Ferrata*, & Tribus Tabernis, olim in eadem hac Appia Via, quamquam non pari celebritate, uſuveniſſe, ſat ſcimus. Non eſt igitur cur Cluverius anxie ſingulorum auctorum loca diſcutiat in quibus Albanorum populorum, Albæ urbis, & Albani oppidi mentionem faciunt, Alba Longa jam

olim diruta, Albaniſque ejus civibus Romam tranſlatis; oſtendatque vel de Monte, Agroque Albano ea omnia intelligenda eſſe; vel falſo *Albanos Albamque* nominare. Ubi enim, per figuram, *Alba* pro loco olim ſede urbis Albæ dirutæ, & *Albani* pro populis agri olim Albani, ſcilicet, qui quondam circa Albam Longam fuit, intelligi plane non poſſunt; (quod tamen apud poetas fere ſemper intelligendum eſt) ibi de Albano hoc oppido ad Albanum Pompeji prædium poſterioribus ſæculis excitato, deque Albanis ejuſdem incolis, ſermonem haberi, veriſimillimum eſt. quamquam, (quod & antea monui) Chriſtianis ſæculis, hi non *Albani*, ſed *Albanenſes* appellari conſueverint. Ut Innocentius *Albanenſis* *b* in Romano Breviario; & inter Magni Gregorii epiſtolas, *c* hujus oppidi, Antiſtitem Sacrarum rerum jamdiu habentis, Andreas & Homobonus *Albanenſes Epiſcopi* nominantur, his verbis: *Andreas Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſit. Homobonus Albanenſis Epiſcopus ſubſcripſit.* Quin etiam aliam ejuſdem Gregorii *d* epiſtolam legimus *Ordini & plebi conſiſtenti in Albano* ſcriptam; qua ſe *Hominembonum ipſis Epiſcopum* ordinaſſe commemorat. Porro Magnus Gregorius Romanus Pontifex circa finem ſæculi a Chriſto nato ſexti florebat. Ceterum, Albæ Longæ ſedes, ſitus, ac locus hic minime fuit; neque de hoc ullum jam prudenti viro dubium reliquum eſſe poteſt.

b *die* 28. *Julii*.

c *Lib.* 3. *Ep.* 39. *Lib.* 4. *Ep.* 44.

d *Lib.* 3. *ep.* 11.

Quod etiam multo magis nuper perſpexi, cum oppidum ipſum non ſolum perluſtraverim, verum etiam rimatus fuerim. In eo namque veterum ædificiorum nihil; ſi ingentium thermarum oſſa, ita dixerim, excipias, adhuc exſtantia, de quibus, quod Magni Pompeji fuerint Cellæ, qui etiam *Magnus* ſine addito propter excellentiam ſæpe fuit appellatus, atque

in-

inter ceteros a Lucano, nomen hodiernum quo locus idem vocatur *Cello Majo*, quasi *Cellæ Magni*, derivatum est. Hæ constructæ cernuntur in dextero Appiæ Viæ latere ad lapidem circiter quartumdecimum, vix ut antiqui Oppiduli portam, ut videtur, intraveris, prope Templum Divi Petri, quod antiquissimum Albanensium Christianorum ædificiorum, sive certe inter antiquissima, fuisse non dubitamus. cum primordia Albani oppidi, circa Magni Pompeji Thermas & Prætorium seu Villam, exorta non dubitemus. Ingentium murorum in hisce Thermis pars magna adhuc superstes structuram ceterarum in Urbe, ac præcipue Antoniniarum prope Capenam Portam, præsefert. Quas ab his Albanis Pompejanis, utpote antiquioribus, descriptas, (tanta in illis similitudo) sapienter dixeris. Triplici tabulatorum ordine constructæ visuntur. In imo Balineæ frigidæ, in medio tepentes, calidæ in supremo Thermæ constitutæ apparent, exinde quod in murorum solidissimorum angulis nondum penitus periere inserti testacei ductus seu tubuli; mediocres quidem tabulatum ad medium usque, pro teporariis; laxiores vero in supremo, pro calidariis & vaporariis thermarum. Conspicuæ quoque sunt adhuc & scalæ & cellulæ & solia ad lavandum, & spoliaria & hypocausta & cetera id genus ad thermas spectantia ædificia. quamquam nuperrime ad paupercularum virginum excipiendum Collegium multa diruta & mutilata novasque in figuras conversa fuerint. Murorum altissimorum crassissimorumque structura magnificentissima, vivo quidem e saxo, intermixtis tamen frequentibus lateritiarum tabularum ordinibus, Magni Pompeji feliciſſimum sæculum, ac potentissimos Romanos ostendit. Ceterum, etiam subterraneis in subſtructio-

ctionibus Palatii Sabellorum Principum olim, nunc vero Pontificii Fiſci, ad quod dudum Albani oppidi Dominium etiam utile devolutum eſt, non incerta Pompejanæ Villæ veſtigia apparent. partes nempe murorum opere reticulato, ingentes vetuſtiſſimi fornices, aquæductuum, ſeu ciſternarum aut limariarum piſcinarum rudera, quæ rimanti mihi ſingula Albanum Pompeji magnificentiſſimum nullo negotio repræſentaverunt. Ac potiſſimum antiquarum columnarum baſes marmoreæ duæ quadratæ fabuloſis undique Heroum geſtis inſculptæ pereleganter, nunc in publico quadrivio verſantes, & ſedilium vices obeuntes, quas Herculis labores repræſentaſſe, nonnullis creditum eſt. Dubitavere quoque nonnulli num altero a Pompejo ſæculo locus hic idem pro militum Caſtris Prætoriis fuerit ab Cæſaribus adſignatus. De quibus, quod *in Albano*, *apud Albanum*, *ſub Monte Albano* fuerint conſtituta, non unum, a nobis hoc Libro opportune adductum, veterum ſcriptorum exſtat teſtimonium. Aliis nihilominus Caſtra Prætoria Albana eo loco fuiſſe exiſtimantibus ubi nunc Barberinorum Principum Villa, Albanum inter & Caſtrum Gandulphi. in quo murus adhuc ſolidiſſimus ſuperſtes in longiſſimum productus ſpatium, duobus hemicyclis diſtinctus, cui ingentes & antiquiſſimæ innatæ ilices, opere topiario attonſæ, perpetuo virentem murum alium æmulari velle videntur. Cumque locus ad Albani Lacus marginem ſedeat, & propius Albanum Montem, qui tamen in ulteriori ripa lacus exſurgit; illi vocabula *Montis Albani*, *in Monte Albano*, *ſub Monte Albano*, quæ ſcriptores, de Caſtris Prætoriis Albanis locuti, adhibuere, aptari commodius poſſe videntur. Ceterum, Domitiani Villæ partem alii locum ipſum crediderunt.

Cujus

Cujus certe pars videtur fuiſſe Amphitheatrum in Hortis ſeu Vineis ad Sanctum Paullum, ruinoſum quidem jamdiu undique, & ſentibus, carice, calamis impeditum; non ita tamen ut ejus mediocris circuitus colligi nequeat atque ſtructura. Diſtat Albanum oppidum ab Urbe mille paſſus quatuordecim numeratos milliariis lapidibus conſtitutis; Via tamen Albana, juxta veterem Appiam, ſed ipſa non ſemel longiore, utpote tortuoſa nonnihil. miti jacet ſub cœlo, non tamen ſaluberrimo ſemper propter Libyci venti, quem a propinquo marino proſpectu ac littore non ſemel excipit pluſquam temperate, moleſtiam.

CAPUT IV.

De Albano Monte, deque Latinis Feriis, aliiſque Sacris in eo antiquitus celebratis.

Celeberrimus Priſcorum Latinorum religione ac fabulis, præ ceteris hujus regionis, fuit Mons Albanus; in cujus dorſo, ſcilicet, Alba Longa olim fuit; & ad cujus radices Lacus qui, ex eadem urbe, *Albani* pariter nomen ſortitus eſt. Eum modo ab incolis accoliſque *Monte Cavo* appellari, nuper docuimus; eſtque editiſſimus omnium circa, ſi Apenninorum apices demſeris. Quod etiam notavit Livius, de Gallis ab urbis Romæ expugnatione ac populatione & incendio jam, Camilli Ardeatiumque virtute, huc profugis ſic locutus: *Inde Galli diſſipati, fuſique per campos, & præter caſtra etiam ſua fuga prælati, quod editiſſimum inter æquales tumulos occurrebat oculis, arcem Albanam petunt.* Arcem vocat ſummum hujuſce Mon-

Montis jugum; non quod munitum id operibus foret ac propugnaculis; verum, quod ſua altitudine difficilique, ut tum res erant, aſcenſu, ad arcendos hoſtes foret aptiſſimus. A quibus arcendis, in aſpero celſoque loco exſtructa mœnia & propugnacula, *Arces* merito a Latinis ſunt appellata: quas antiquitus editiſſimo, fere ſemper, rupis alicujus ſupercilio munitas fuiſſe, ex earum frequentiſſimis per Italiam veſtigiis atque ſemirutis muris, paſſim videmus. Nunc aliis aliter omnino munitis arcibus utitur Bellica. Nulli alteri Montis Albani apex continuatur, adeoque liberrimus ac maxime longinquus ex illo in propinquos remotoſque agros proſpectus eſt. Arboribus etiam atque herbis circum veſtitur; unde fit ut nunc quoque, licet fere ab incolis deſertus, inter amœniores tamen ruſticantium Romanorum deambulationes computetur. Mons eſt ſublimis; quamvis Poetæ verſus gratia illum ſæpe *collem*, aliquando etiam *tumulum*, qui humilior ipſis collibus locus, proprie, eſt, appellare non dubitaverint. Martialis de villa Janiculenſi Julii Martialis neceſſarii ſui: *a*

a *Lib.* 4. *Ep.* 64.

Hinc ſeptem dominos videre montes,
Et totam licet æſtimare Romam.
Albanos quoque, Tuſculoſque colles,
Et quodcumque jacet ſub Urbe frigus.

Quamquam hic, pro *Albanis collibus*, ipſum Albanum montem intelligi, neceſſe non fuit; cum etiam, depreſſiores Albano ipſo monte, ſint prope ipſum colles, Nemorenſem inter & Albanum Lacus; qui merito *Albani*, in agro antiquitus Albano quod eſſent, vocari poterant. Martialem tamen de monte Albano hic locutum minime dubito; qui præ ceteris Romæ conſpicuus atque perſpicuus, ex editis Urbis locis, ſemper apparet. Idem auctor villam Domi-

mitiani Cæſaris, quæ certe in Albano Monte fuit, quamquam non adeo ſublimi loco, *in colle ſitam* nominavit: *b*

b *Lib.* 5. *Ep.* 1.

Hoc tibi, Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,
Cæſar, & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin,
Mittimus.

Statius quoque Papinius, de rure ſuo ſcribens, in Monte Albano, quod ei dono dederat Domitianus Cæſar, non longe ab ipſa Domitiani Villa, ſub *collibus Albæ* fuiſſe, memoravit: *c*

c *Silv. l.* 3. *C.* 1.

Dardaniæ quamvis ſub collibus Albæ
Rus proprium, magnique ducis mihi munere currens
Unda domi, curas mulcere æſtuſque levare
Sufficerent.

Et idipſum repetens de Villa Domitiani in Albano Monte, unde Cæſar nuntium neſcio quem miſerat, cecinit: *d*

d *Lib.* 5. *C.* 2.

Sed quis ab excelſis Trojanæ collibus Albæ,
Unde ſuæ juxta proſpectat mœnia Romæ
Proximus ille deus, fama velocior intrat
Nuntius?

Videas tamen, vocem *collibus* gratis hic a poeta uſurpatam: cum neque proprietas hæc vocabuli; nec lex carminis illum cogeret, *collibus*, pro *montibus*, uſurpare. præcipue cum *excelſos* ibidem hos colles nominaverit. Verum, poetis quidlibet audendi poteſtatem ſemper fuiſſe, jam ſcimus.

Virgilius vero Albanum Montem, & quidem Albani montis ſummum jugum, carmini inſerviens, *tumulum* appellavit: *e*

e *Æneid. L.* 12. *v.* 134.

At Juno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur
(Tunc neque nomen erat, neque honos aut gloria monti)
Proſpiciens tumulo, campum ſpectabat, & ambas
Laurentum Troumque acies, urbemque Latini.

Profecto magnus atque excelſus debuit eſſe tumulus, ex quo duos exercitus, urbemque Laurentum, haud ſane ita vicinam Albano Monti, in planitie juxta mare ſitam, proſpicere quis commode poſſet. Sed Virgilius, præter legem carminis, cui certe aliter conſulere potuiſſet, noluit bis hunc locum *montem* appellare. atque ideo, cum illum *Albanum Montem* poſtea appellatum dicere debuiſſet, voluit primo *tumulum* appellare. Ceterum, adeo hujus montis ſublimitatem non ignoravit, ut potius illum, tamquam celſiſſimum omnium circa locorum, in aptiſſimam Junonis proſpectus ſedem, conſulto delegerit. Certe de ſummo ejus jugo vaſtiſſimus undequaque, tractu longiſſimo, proſpectus eſt. Atque inde nos ipſi, oculati teſtes, non ſemel ſpectavimus; in Orientem quidem Solem, Veteris Latii multum & Campaniæ etiam partem, juxta Appiam Viam; Pomptinas paludes, Circejum ad uſque Promontorium; Tyrrhenum mare, Inſulaſque Pontiam ac Pandatariam, aliaſque nonnullas. in Meridiem vero, tum ſubditum Aricinum Lacum ac Nemus; Velitras, Pomptinos ſaltus, atque Antiatinos; Antium ipſum, Ardeam, omnemque eam oram cum pelagi parte; donec in Occidentem intuentes, & Tiberis curſum & Tiberina Oſtia; ipſam urbem Romam, atque ultra ipſam, & Cimini cum monte Lacum lucoſque Capenos, veteriſque Etruriæ partem non minimam detegeremus. in Septemtriones denique proſpectantes, Signinos, Prænestinos, Tuſculanos, & Tiburtinos montes, Sabinos quoque, & longinquiores Marſos, cum infinitis pæne oppidis, atque agris, magna cum voluptate demirati ſumus. Hæc Albani Montis amœnitas & Aſcanium, primo, ad condendam in eo urbem allexit; & mox Latinos, eoſque ſecutos Romanos, ad eum-

dem

dem religionibus ſacrorum celebrandum, invitavit. Et ad Aſcanium Julum reſpiciens Martialis, de Albano vino, circa Domitiani villam expreſſo, locutus, hunc ipſum Montem *f Julæum* dixit:

f *Lib.* 13. *Ep.* 109.

Hoc de Cæſareis mitis vindemia cellis
Miſit, Julæo quæ ſibi monte placet.

Ceterum, & Columellæ *g Mons Albanus* dicitur, & Livio, & ſcriptoribus reliquis. Livius etiam *Jugum Albæ Longæ* vocavit. *h* Et Cicero *editum montem*, ut infra opportune recenſebimus. Porro, celeberrimum in ſummo jugo Montis Albani Templum fuit, Jovi Latiali, ſive Latiari, dedicatum. De illo Lucanus: *i*

g *Colum. R. R. L.* 3. *C.* 2.

h *Lib.* 7. *Pro Mil.*

i *Lib.* 1.

Et reſidens celſa Latialis Juppiter Alba.

Hujus Templi conditorem, Tarquinium Superbum, Romanorum Regem ſeptimum, atque adeo ultimum, perperam quidam, fuiſſe, exiſtimarunt; cum antiquius multo Tarquinii ætate idem templum ſtetiſſe, noverimus; & vix conditi tempus aſſequi valeamus. Plerique, ab Aſcanio Albæ Conditore id poſitum Æneæ patri, ſub nomine *Latialis Jovis*, crediderunt. *k* alii ab Priſcis Latinis, Fauno, ſive Latino, Regi, primo nominis totius Gentis auctori, ſub Latialis Jovis titulo, dedicatum id cenſuerunt. Ego vero, primos auctores templi vetuſtiſſimos Aborigines, Pelaſgos, ſive Siculos, aut Sicanos, Jovi illud conſecraſſe, crediderim; quod in eo vertice regnum ſuum Juppiter peculiari quodam modo habere videretur. Jovem enim pro aere ſumi, nemo neſcit; & *ſub dio*, ac *ſub Jove*, idem atque *ſub aere* intelligi. Itaque, cum Veteres illi Latii incolæ aeris mutationes, ventos, pluvias, grandines, tempeſtates, fulgura, tonitrua, & fulmina idque genus cetera, ſi qua ſunt, in univerſam hanc regionem, ex hujus montis ſummo apice

k *Vid. Lib.* 1. *hujus Operis.*

fere ſemper incepta, dilatari, conſtanter obſervaſſent; ibidem Jovi, veluti in Regia, templum ædificarunt, ubi ſtatis ſacrificiis, ne noceret, imo vero ſalubres ac propitios aeris influxus in univerſum Latium ut demitteret, eidem ſupplicarent. Certe Albani Montis vertex nunc quoque imbrium imminentium divinus eſt atque augur. Si enim nebulæ, maluſque Juppiter illum urgent, ac obnubunt, ut cum Horatio loquar; certa in proximo pluvia, & pluviæ infeſti ſæpe comites ſunt. Unde fit ut vulgatum quoque uſurpemus paſſim proverbium: *Monte Cavo ha il cappello*; *piovera*. Quamquam autem ſimillima veris de Latialis Jovis numine protuliſſe me hactenus, putem; non abnuerim nihilominus, aliud alio ævo id numen fuiſſe creditum. Sic, ut & Fauno, & Latino, & Æneæ, atque adeo ipſi Aſcanio Julo, Albæ conditori, ſub Jovis Latialis numine ac nomine, fuerit a veteribus Latii populis, diverſo tempore, ſacrificatum. Incertiſſima enim fabuloſorum numinum, quippe quæ tandem omnia mendaciſſima eſſent, purumque putum figmentum, apud ipſos ſimulacrorum profanos cultores & mobiliſſima ſemper fama fuit. In hoc itaque templo ſignum fuit Jovis, cujus meminit Livius; item & Lucus eidem numini ſacer. nam, *In Albano*, inquit, *l monte tacta de cælo erant ſignum Jovis, arborque templo proxima*. Hoc Jovis ſignum marmoreum prægrande, in eruendis antiquiſſimis ſubſtructionibus, in vertice Albani Montis detectum fuiſſe creditum eſt, circa annum Reparati Orbis ſeptingenteſimum decimum quartum ſupra milleſimum; cumque circa idem tempus, huc, animi cauſſa, adſcendiſſem; oſtenſus eſt mihi ab ſolitario homine, qui ſignum effoderat, locus in ſummo jugo, ubi idem detectum fuerat. Capite tamen

1 *Lib.* 27.

trun-

truncum erat, injuriiſque tot ſæculorum, reliquas etiam partes corruptum atque fœdatum; ita ut illud ſignum fuiſſe Jovis ex nullo vel levi inhærente indicio appareret. Caput ipſum in devio montis clivo prolapſum, ſed informe penitus, repertum fuiſſe ajebant. De Jove Latiali, in ſummo Albani Montis apice, templo culto, ſic Tullius: *m Tuque ex edito iſto tuo Monte, Latialis ſancte Juppiter, cujus ille* (Clodius) *lacus, nemora, fineſque ſæpe omni nefario ſtupro, & ſcelere macularat; aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti.* Præter Jovis ſignum quod ajebam, rudera quoque templi in hujus ſummitate montis adhuc viſuntur; tum ciſternæ vivo exciſo ſaxo conſtructæ, in quas e templi tectis aqua ad lavationes, & ſacrificia congregabatur. Quin etiam totam planitiem ſupremumque jugum montis muro ex prægrandibus quadratis lapidibus cincta fuiſſe, maximis e veſtigiis adhuc exſtantibus, ſatis apparet. Via huc ferebat bene lata, & ſilice, Appiæ, Latinæque & ceterarum inſtar, inſtrata; cujus partes idemtidem in aſcenſu hodie quoque perſpicuæ ſunt. Quamquam horum ſilicum pars in oppidulo Albani Montis, *Rocca di Papa* appellato, in ædificiorum ſtructuram conceſſit; noviſſimeque pars alia in exſtruendis religioſorum quorumdam hominum ſeptis, ſive Clauſtris, in ſummo cacumine excitatis, adhibita eſt. Siquidem Gallus quidam honeſto loco natus cum Polonorum Reginæ, quæ Joannis illius magni Sobieski uxor fuit, aulam Romæ, humanarum inanium rerum jam pertæſus, ſponte dereliquiſſet, ad ſolitariam in hoc Monte vitam agendam, Deoque tantum, & ſibi vacandum, receſſit. ubi, tuguriolo primum excitato, ſolus annos aliquot egit. Verum Romanorum ruſticantium qui eo, per vernum & au-

m *Pro Mil.*

tu-

tumnale tempus, ad inviſendum adibant, conſiliis ſæpius admonitus, ne in tanta gladiorum licentia, quanta in deſertis locis, ſaltibus, ac latibulis agreſtibus eſſe ſolet, ſolus agendo, ſeſe diutius periculis jam exponeret; viros quoſdam religioſos in contubernium ſibi adſciſcere tandem decrevit. Factaque per Columnenſes Romanos regulos, loci dominos, facultate; ædes paulo ampliores, cum ſacello excitavit; in quibus ipſe cum ſociis divino cultui, animoque virtutibus excolendo, in ea ſolitudine remoti vacarent. Sunt ii viri religioſi, quibus *a Redemptione* & *a Trinitate* cognomentum eſt. Ceterum, in templo Jovis Latialis, quod in Monte Albano antiquitus erat, præter cetera Latinorum populorum ſacrificia, ſolenne fuit, quod Conſules, ſimul ac Magiſtratum iniverant, immolato tauro, faciebant. Cujus ſacrificii gratia, etiam Domus Conſulum, publice conſtructa, in aſcenſu Montis olim fuit. De hac Dio n in rebus Auguſti: ἐν κεραυνὸς ἐς τὴν οἰκίαν τὴν ἐν τῷ Ἀλβανῷ οἰκίαν, ἐς ἣν οἱ ὕπατοι ἐν ταῖς ἱερουργίαις καταλύουσιν ἐνέσκηψε. *Fulmine domus ea in Albano in quam Conſules, quum ſacra hic fiunt, divertere ſolent, icta fuit.* Hanc domum, ubi nunc Villa Columnenſium, quam dicimus *Palazzolo*, fuiſſe memoravit Holſtenius. ajebat enim, hoc, loci vicinitatem, ſitumque oſtendere; tum, inter alia antiquitatum monumenta, Faſces Conſulares duodecim lapidi in ipſa Montis rupe inciſos, prope vicinas *Franciſcanorum*, quos vocant, *Fratrum* ædes, qui hodieque antiquo opere elaborati viſuntur, ſignificare. quamquam aliis ii faſces nil aliud quam ſepulcri Conſularis veſtigium eſſe judicati ſunt. Porro, circa eaſdem ædes camerata cubicula, & ambulacra, nymphæa, fontes, & aquæductus mirabili opere exciſa ſpectantur. Huc pariter Romani Imperatores,

n *Lib.* 54.

tum

tum Republica florente, tum ſub Cæſaribus, qui, triumphantium in morem, Urbem forent ingreſſi, poſt ſolenne Romæ Capitolinum ſacrificium, ad Jovis, eadem fere pompa aſcendebant; & candido tauro Jovi Latiali quoque faciebant. Hujus moris meminit, inter ceteros, Servius, ad illud Maronis de Albano Monte: o

o Æn. l. 12.

Tunc neque nomen erat, neque honos, aut gloria Monti.

Hoc ideo, ait, *quia in Albano res divina a jure triumphantibus fieri ſolebat: ſcilicet, quod Alba, patria Populi Romani habetur; unde omnis origo Romana. propter quod Albanique Patres & Juppiter Latiaris antiquiſſimus eſt. Ergo Montis hujuſce gloria, quod patria Populi Romani eſſe dicatur: honos vero e re divina quæ ibi a Romanis fieri conſueverat. nomen quis ignorat a Longa Alba tractum eſſe?* Facere non poſſum, quin hic Grammaticum interpellem. Vis tu te cohibere, Servi? nec pugnantia ſecum frontibus adverſis velle componere? Si enim vera dicis, ut hic quidem ſane veriſſima de Alba Longa in Albano Monte condita; quæ prima veluti, (poſt Lavinium tamen) Populi Romani patria fuerit, ac Gentis origo; quomodo, tot jam ſæculis poſt hujus Albæ excidium, Albam ipſam urbem commemoras, duodecim milliaria diſtantem a Romanis mœnibus, tamquam tua ætate florentem? Ex qua narratione nonnulli qui Albanum præſens oppidum Albæ Longæ ſedem olim fuiſſe, quovis pignore contendere videntur, pinguiſſimum ſuum hunc errorem foverent, ac ſtabilirent. Sed jam ſatis hæc ad Grammaticum Veteris Romanæ Hiſtoriæ plane non peritiſſimum. Quem in eo quoque erraſſe vehementer dubito, quod ait triumphatum ab exercituum Imperatoribus ſemper in Monte Albano, poſtquam Triumphi pompam & ſacrificium peregiſſent in Capitolio.

tolio. cum potius eorum aliquos tantum pro Roma, Albanum Montem triumphi locum, & pro Capitolino, Latialis Jovis in ipso Albano Monte templum ad triumphale sacrificium prætulisse, & Veteres Historiæ & Fasti Triumphales marmoreis insculpti tabulis adhuc exstantes in Capitolio nos doceant. In quibus quinque tantum triumphantium Ducum in Monte Albano nomina recitantur, sic ex Panvinio descripta:

1.

C. PAPIRIVS C. F. L. N. MASO COS. ANNO DXXII
DE CORSEIS PRIMVS IN MONTE ALBANO
III. NONAS MART.

2.

M. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS ANNO DXLII
II. PROCOS DE SYRACVSANEIS EX SICILIA
IN MONTE ALBANO

3.

Q. MINVCIVS C. F. C. N. RVFVS ANNO DLVI
COS. DE LIGVRIBVS BOIEISQVE GALLIS
IN MONTE ALBANO

4.

C. CICEREIVS : : : : IT PROPR. AN. DXXII
EX CORSICA IN MONTE ALBANO KAL. OCTOBR

5.

C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR VI. DICT. IV. ANN. DCCIX.
OVANS EX MONTE ALBANO VII. KAL. FEBRVAR

Nunc jam in Albani Montis recensendis antiquis sacris pergamus. Horum omnium celeberrima illa fuerunt quæ *Latiaria* sive *Feriæ Latinæ*, aut etiam sine addito, per excellentiam *Latinæ*, appellata sunt. Nomen aliunde alii derivarunt. quidam enim Ferias dictas ajunt a *feriendo*, quod in his sacris victimæ ferirentur; alii a *ferendo*, quod in hoc festo ad Albanum Montem convenientes Latini populi, aliquid quisque in commune, ex præscripto, ferre deberet.

Unde

Unde etiam Italicum nomen mercatorum conventibus ad oppida, circa ſolemniora quædam Divorum Patronorum feſta, agitari ſolitis, *la Fiera*. Certe *Latiaria*, ſive *Latiar ſacrum*, inde ſunt dicta, quod Jovis Latiaris in honorem fierent. *Latinæ* vero; quod ab univerſis Latinis populis celebrarentur. Feriarum Latinarum originem atque inſtitutionem, ſcriptores plerique, ad Tarquinium Superbum Romanorum Regem ultimum, referunt. Quamquam certiſſimum ſit, Latinos, multo ante Superbi ætatem, id ſacrum commune, apud Albanum Montem, in honorem Latialis Jovis, (quiſquis tandem hic eſſet) agitare ſolitos fuiſſe. Tarquinium vero ejus ſacri uſum opportunitate, ut renovando Latinos inter atque Romanos quotannis fœdere inſerviret, idem conſtituiſſe; *Latinaſque Ferias* vocaſſe. Sed jam Latinarum Feriarum originem ipſam, ritus, ſacra, populoſque ad eas convenire ſolitos, huc optimis ex auctoribus in medium afferre placet. Itaque Varro, *p Latinæ Feriæ*, inquit, *dies conceptivus dictus a Latinis populis, quibus in Albano Monte, ex ſacris, carnem petere fuit jus cum Romanis; a quibus Latinis Latinæ dictæ.* & Strabo: τὸν q Ἀσκάνιόν φασι Ἄλβαν κτίσαι ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει, ἐνταῦθα Ῥωμαῖοι σὺν τοῖς Λατίνοις Διὶ θύσιν, ἅπασα ἡ συναρχία ἀθροισθεῖσα. *Aſcanium, ferunt, Albam condidiſſe in Albano Monte; ubi totius imperii concilio coacto, Romani cum Latinis Jovi ſacrificant.* Has Florus r *Feſtum diem Latinorum* vocavit. ait enim: *Primum fuit belli in Albano Monte conſilium, ut Feſto Die Latinorum, Julius Cæſar, & Marcius Philippus Conſules, inter ſacra & aras, immolarentur.* Ritum vero has Ferias celebrandi, diſtinctiſſime omnium Dionyſius ſ deſcribens, *Tarquinius*, inquit, *Latinæ Gentis imperio potitus, Legatos miſit ad Volſcos & Hernicos; eorum quoque amicitiam & ſocietatem expetens. Vol-*

p *L. L. Lib.* 5.

q *L.* 5.

r *Lib.* 3. *c.* 18.

ſ *Lib.* 4.

ſcorum duo tantum populi adſenſerunt. Echetrani & Antiates. Hernici univerſi ſocietatem decreverunt. Ut autem ſempiternum maneret id fœdus; Tarquinius propoſuit deſignare commune templum Romanorum Latinorumque, & Hernicorum ac Volſcorum, qui ſociorum numero adſcripti eſſent: ut quotannis ibi ſolennem cœtum agitantes, epularentur una, & communia ſacra participarent. Quod cum æquis animis acceptarent omnes; locus conventui præſtitutus eſt in meditullio ferme harum Gentium, Mons excelſus Albæ imminens: ubi ſingulis annis Feriæ celebrarentur: & tunc ab omni vi temperarent omnes; ſacraque communiter Jovi Latiari facerent; & vacarent epulis: conſtituto, quid quiſque populus in ea ſacra præbere, quamque portionem recipere deberet. Earum Feriarum, ejuſque ſacrificii participes fuerunt XLVII. Civitates. Eaſque etiam nunc Romani agitant; Latinas *vocantes. Conferunt in eas populi ſacrorum participes, alii agnos, alii caſeos, quidam lactis certum modum, quidam conſimile liborum genus. Communis omnium victima eſt taurus unus. de quo cuique populo ſua portio tribuitur. Sacrificant autem pro univerſis. Eique ſacrificio præſunt Romani.* Ecce quam minuta narratione Latinas Ferias deſcripſit Dionyſius. qui tamen cum Volſcos & Hernicos in illis conveniſſe dicit; de Volſcis illis atque Hernicis qui Veteris intra Latii fines urbes atque oppida habebant, ſane intelligendus eſt. Quales Antiates & Veliternos, ſuperioribus libris, ipſi quoque inter Latinos Priſcos deſcripſimus: & Signinos, qui, Hernicorum pars licet fuiſſe videri poſſint, in limite tamen Antiqui Latii quod fuerint, Latinis pariter ſunt accenſiti. Illa quoque Dionyſii verba in hac narratione diligenter notanda ſunt, quibus ait, Tarquinium propoſuiſſe *deſignare templum commune Romanorum, Latinorumque, & Hernicorum, ac Volſcorum qui ſociorum*

nu-

numero adſcripti eſſent. His enim verbis, non ab Tarquinio templum Jovi Latiari in Monte Albano, ad Latinas Ferias celebrandas, conditum fuiſſe aſſeruit; verum, templum idem ab antiquiſſimis temporibus jam fundatum, celebratum quoque frequentiſſimis Latinorum conventibus, & ſacrificiis, deſignaſſe Tarquinium, & deſtinaſſe, ad Ferias Latinas communiter celebrandas; ob Loci ſanctitatem pariter & opportunitatem; in meditullio Latinæ regionis, Latinorumque, circa, populorum, quod eſſet. Denique, Tarquinius quidem Latinas Ferias eo ritu quo deinceps celebratæ ſunt, primus inſtituit: conventus tamen Latinorum populorum & ſacrificia ab iiſdem Jovi Latiali, multo ante Tarquinii ætatem, atque adeo Romam ipſam conditam, facta ſunt. Ceterum, Latinarum tempore inducias a bellis ſervatas, non Dionyſius modo, ſed Macrobius etiam memoriæ prodidit. *t* Ait enim: *Quum Latiar, h. e. Latinarum ſolenne, concipitur, nefas eſt prœlium ſumere: quia Latinarum tempore, quo publice quondam induciæ inter Populum Romanum Latinoſque firmatæ ſunt, inchoari bellum non decebat*. Cum vero non unum Feriarum antiquis genus foret; ſed aliæ *ſtativæ*, aliæ *conceptivæ*, aliæ *imperativæ*, aliæ demum *Nundinæ* eſſent; Ferias Latinas de Conceptivarum numero, ex hactenus recitatis Dionyſii, ac Macrobii teſtimoniis cognoſcimus. Erant autem Conceptivæ Feriæ illæ quæ quotannis a Magiſtratibus, vel ſacerdotibus, concipiebantur, hoc eſt, indicebantur; ſed modo hoc, modo illo tempore; ut iiſdem Magiſtratibus & Sacerdotibus opportunius viſum foret. Porro, quod Latinæ indicerentur, teſtatur Livius his *u* verbis: *Ne Latinas indiceret, Jovique Latiali ſolenne ſacrum in Monte Albano faceret*. Et

t *Saturnal. Lib.* 1. *c.* 16.

u *Lib.* 21. *ſub fin.*

Horatius lepidam de Vultejo Mena præcone, per jocum facto ruſtico, ab Philippo, jureconſulto ſuæ ætatis nobiliſſimo, hiſtoriolam narrans: *x*

x *Ep. l. 1. Ep. 7.*

-- -- -- -- -- -- hic ubi ſæpe
Occultum viſus decurrere piſcis ad hamum;
Mane cliens, etiam certus convivia; jubetur
Rura ſuburbana, indictis comes ire Latinis.
Impoſitus mannis arvum cælumque Latinum
Non ceſſat laudare. videt ridetque Philippus.

Quod autem diem certum Latinæ non haberent, ab ipſo docemur Livio; ſiquidem apud illum *y* legimus, aliquando eas celebratas fuiſſe ad tertium Nonas Majas, aliquando pridie Idus Aprilis, aliiſque incertis prorſus ac vagis diebus. Latinas in unum diem Tarquinius Rex primum inſtituit; mox, pulſis Regibus, dies ſecundus illis eſt additus; tertius, poſt ſeceſſionem Romanæ plebis in Aventino; quartus tandem, plebe & Patribus a Dictatore Camillo in concordiam reductis. Sex autem dierum feſtum Latini Veteres in Monte Albano Jovi ſuo Latiali agitare prius conſueverant. Quem morem illos neque poſt Latinas Ferias rite a Superbo inſtitutas, dimiſiſſe, crediderim. Profecto, Latinarum præcipuum negotium fuit, carnem ex immolato communibus votis Jovi Latiali tauro populum quemque ſumere; ſuamque in urbem, tamquam renovati cum Populo Romano fœderis legitimum ſignum, veræque ac priſcæ Latinitatis argumentum certiſſimum, aſportare. Carnem hanc, etiam *Viſcerationem* dixere. Sic Servius: *z* *Viſcera non tantum inteſtina dicimus, ſed quidquid ſub corio: ut in Latinis Viſceratio dabatur, ideſt caro.* Itaque viſceratio quæ in Latinis dabatur, caro fuit, non autem epulum quod fiebat ex viſceribus animalium, vel viſcera ipſa igni torrida, qualia Virgi-

y *Lib. 41. & Lib. 44. atque alibi.*

z *in 1. Æn.*

gilius memorat: *a Viscera tosta ferunt taurorum*. Tantum vero in hac carnis distributione singulis populis qui conventui Latinarum aderant, rite facienda, religionis fuit; ut si cui illa data non esset; vel certe ea quantitate qua debuerat; Latinæ, tamquam irritæ habitæ, denuo, ob id tantummodo, instaurarentur. Testis Livius, *b* qui, *Feriæ Latinæ*, inquit, *pontificum decreto instauratæ sunt; quod Legati ab Ardea questi in Senatu erant, sibi in Monte Albano, Latinis, carnem, ut assolet, datam non esse*. Quamquam aliis de caussis, gravioribus multo, Latinæ indicebantur atque instaurabantur. Cum enim Latinarum tempus totum *Nefastum* esset; nec Lege agi, forensi strepitu, neque cum populo quidquam communicare liceret; maxime quia eas Ferias Romani Consules procurabant: eam opportunitatem nacti Patres, ut aggerem veluti Tribuniciæ in illos, effusi torrentis instar, ruenti Potestati præsentissimum opponerent, religionum obtentu, Latinas indicebant; quemadmodum etiam auguriorum & auspiciorum infausta omina simplici ignaræque plebeculæ opponere sæpe solebant. Hinc Marcus *c* Cicero ad Quintum Ciceronem fratrem suum scribens, *Consul*, inquit, *Lentulus dies Comitiales exemit omnes. Nam etiam Latinæ instaurantur. Nec tamen deerant supplicationes. Sic legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis*. Præter hos Latinarum ritus, ab Superbo Romanorum rege institutos, aliis etiam peculiaribus Veteres Latini, in suis apud Albanum Montem sacris, quæ in Latinas Ferias deinde sub Romanis concesserant, antiquioribus sæculis, usi sunt. Hi fuere, cantus in Jovis Latialis laudem certorum carminum; oscillisque frequentissimi lusus, Feriarum Latinarum sex diebus adhibiti. Oscillorum autem lusus, qui & *Oscillatio* dictus est, fu-

a Æn. L. 8.

b Lib. 32.

c L. 2.

ne

ne de tigno vel arbore religato, vel etiam tranſverſo tigno, vel aſſere de arbore ſuſpenſo in aere fiebat; ubi viri & puellæ librati, ſurſum deorſum obvii ferebantur; & inter ludendum, Jovi Latiali quædam concepta carmina decantabant. Athenienſium inſtar, a quibus genus Ludi inventum, ajunt. Athenienſes enim id Ludicrum in honorem Icari & Erigones, aut Bacchi, *d* ut aliis viſum, inſtituerunt, & agitarunt. Cui alludens Virgilius, perſimile in Latio agitatum a ruſticis ſic deſcripſit: *e*

d *Hygin. Fab.* 130.

e *Georg. Lib.* 2.

Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis;
Et te, Bacche, vocant per carmina læta; tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia quercu.

Rem Feſtus multo magis enucleat, Veterumque Latinorum, in ſuis antiquiſſimis Latialis Jovis ſacris, apud Albanum Montem, hunc morem ſcite proponit ob oculos: *f Oſcillum, Santra, dici ait, quod oſcillent, ideſt inclinent, præcipiteſque in os ferantur. Oſcillantes, ait Cornificius, ab eo, quod os celare ſoliti perſonis propter verecundiam, qui eo genere Luſus utebantur. Cauſſa autem ejus jactationis proditur Latinus rex, qui prælio quod ei fuit adverſus Mezentium, Cæritum regem, nuſquam apparuerit; judicatuſque ſit Juppiter factus Latiaris. Itaque, per ſex eos dies Feriatos, liberos ſervoſque requirere eum non ſolum in terris; ſed etiam quia videretur cælum poſſe adiri, per oſcillationem; velut imaginem quamdam vitæ humanæ, in qua altiſſima ad infimum, interdum infima ad ſummum efferuntur; atque ideo memoriam quoque reintegrari initio acceptæ vitæ, per motus cunarum, lactiſque alimentum; quia per eos dies Feriarum, & oſcillis moveantur, & lactata potione utantur.* Hæc Feſtus ex Cornificio, vetuſtiſſimo Romanarum rerum ſcriptore, & cum paucis idoneo auctore. *Oſcillum* hujuſmodi nobis nunc *Cannafienola*, aut *Altalena*, aut *Bindolo* dicitur; *Oſcillatio*

f *Lib.* 13. *de verb. ſignific.*

au-

autem ſive *Oſcillari*, *Dondolarſi* ſeu *Bindolarſi*. Alia fuiſſe Oſcillorum genera, aliaſque hujus vocabuli ſignificationes, quæ noſtri tamen inſtituti non ſunt, non ignoramus.

Jam vero, Latinarum Feriarum ritibus & cæremoniis hactenus utcumque explicatis; ſingulos quoque Latinos populos qui illis intereſſe olim conſueverant, operæ pretium eſt, ex Plinio nunc recenſere. Et antiquiſſimi quidem, quique jam ipſius Plinii ætate interierant ſine veſtigiis, [g] hi fuere. Satricani, Pometini, Scaptienſes, Pitulani, Politorienſes, Tellenates, ſive Tellini, Tifatenſes, Saturnienſes, Antipolitani, ſeu Janiculenſes, Cæninenſes, Ficanenſes, Cruſtumerini, Ameriolani, Medullini, Corniculani, Antemnates, Camerini, Collatini, Amitinenſes, Norbani, Sulmonenſes. *& cum his*, inquit Plinius, *carnem in Monte Albano ſoliti accipere populi Albenſes, Albani, Æſolani, Acienſes, Abolani, Bubetani, Bolani, Cuſuetani, Coriolani, Fidenates, Foretii, Hortenſes, Latinienſes, Longulani, Manates, Macrales, Mutucumenſes, Munienſes, Numinienſes, Olliculani, Octulani, Pedani, Polluſtini, Querquetulani, Sicani, Siſolenſes, Tolerienſes, Tutienſes, Vimitellarii, Velienſes, Venetulani, Vitellenſes. Ita* (Plinius) *ex antiquo Latio* LIII. *populi interiere ſine veſtigiis*. Seriem hanc populorum perturbate oppido a Plinio recenſitam ſcimus; illam tamen adduximus, quod alias omnes purgatiores temporis edacitas nobis invidit. Ceterum, cum recenſitis populis Latinas in Albano Monte Ferias celebraſſe, jure optimo Latinitatis, nemo negaverit; Antiates, Ardeates, Laurentes, Lavinienſes, Lanuvinos, Oſtienſes, Aricinos, Ulubranos, Coranos, Signinos, Algidenſes, Tuſculanos, Labicanos, Præneſtinos, Sacriportuenſes, Gabinos, Bovillanos, Tibur-

[g] *L.* 3. *C.* 5.

burtinos, Setinos, Circejenſes, Veliternos, Apiolanos, Foroappienſes, Auruncanos, Mugillanos, Trojanos, Corbionenſes, Artonenſes; alioſque, quibus Latii jura antiquitus fuere; ipſoſque in primis Romanos, penes quos, jam ab Tarquinii regno, Latinarum procurandarum cura fuit; ipſæque per eorum Conſules procurari conſuevere. Hos omnes populos ad Latinas in Monte Albano conveniſſe, multiplici auctorum teſtimonio docemur. Illud tantum Ciceronis in Planciana pro Lavicanis, Bovillanis, atque Gabinis, huc adfero. *Niſi forte te* (cum Cn. Plancio Tuſculano loquitur) *Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat. quibus e municipiis vix jam qui carnem, Latinis, petant, inveniuntur.*

Ceterum, quantopere Latinæ Feriæ ab Romanis præſertim matronis rite celebrari expeterentur, expreſſit Tullius, de T. Pomponii avia locutus, *h* ad illum ſcribens: *Aviam tuam ſcito deſiderio tui mortuam eſſe: & ſimul quod verita ſit ne Latinæ in officio non manerent, & in Montem Albanum hoſtias non adducerent.* Quamquam id feſtum improbis, ac novarum rerum cupidis hominibus inſidias ſtruendi principibus viris non ſemel occaſionem dederit. Nam & Turnum Herdonium, principem Aricinorum, Albani Montis ſacris abuſus Tarquinius Superbus, dolo malo quondam circumventum, ſuſtulerat; & ſociali bello primum *i* fuit belli in Albano Monte conſilium ut, feſto die Latinorum, Julius Cæſar & Marcius Philippus Conſules, inter ſacra & aras, immolarentur. Nec tamen, idcirco Romani proceres, imo vero etiam Romani Imperatores, ſummæ rerum potiti & domini, a Latinis Feriis abſtinuerunt. Nam Julium Cæſarem a Latinarum ſacrificio revertentem, a plebe Regem conſalutatum, Suetonius cum Plutarcho *k* meminerunt.

h *Lib.* 1. *Ep.* 2.

i *Liv. L.* 1. *& Dionyſ. Flor. L.* 3. *c.* 18.

k *Sueton. in Jul. Cæſ. c.* 79. *Plutarch. in eod.*

Hæc

Hæc ſacra, in Albano Monte, indicta olim divininitus ab incerto numine, Albanorum patrono, ex ſummo Montis cacumine, denſas inter Luci tenebras, memoravit Livius: *l Viſi etiam audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis luco, ut patrio ritu ſacra Albani facerent*. Num autem patrius hic ritus quo Albani veteres ſacra faciebant, humanæ victimæ fuerit immolatio, aſſeverare non auſim. Id quidem Latinis Feriis factum, credidere nonnulli. qui Lactantii etiam ſuper hoc teſtimonium adducunt, ajentis: *m Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt; ſiquidem Latialis Juppiter etiam nunc ſanguine colitur humano*. & Tertullianum ajentem adverſus Gnoſticos: *Et Latio, ad hodiernum, Jovi, media in Urbe, humanus ſanguis inguſtatur*. At, quod ad Tertullianum quidem ſpectat, ipſe Latinas Ferias tam immani piaculo purgat, dum ſanguinem humanum Jovi inguſtari, ſua ætate, *media in Urbe*, Romæ, ſcilicet, non in Monte Albano, ubi Latinæ Feriæ, ſatis diſerte denarrat. Lactantium vero de iiſdem Latinis Feriis, quæ ſanguine inquinarentur humano, intelligendum, vix puto. Cum Dionyſius ceterique a nobis huc allati veteres auctores nihil de humano ſacrificio quod Latinis fieret, memoraverint; cum tamen ritus ſingulos earum tam minute deſcripſerint: humanæque victimæ immolatio, ſi interfuiſſet, præcipuus omnium & potiſſimus qui referretur, dignus fuerat. Num Lactantius Aricina ſacrificia Albanis proxima, quæ humanis fiebant victimis, eo loci voluit deſignare? Id profecto veriſimillimum puto. Quemadmodum & Prudentius in Symmachum ſcripſit:

Incaſſum arguere jam Taurica ſacra ſolemus.
Funditur humanus Latiari in munere ſanguis.

l *Lib.* 1.

m L. 1. *c.* 21. *de Falſ. Relig.*

De iis ſacris autem diſſerendi ſuus, in ſequenti de Aricinis Libro, proprius mox locus erit.

Ex narratis hactenus conſtat, Latinas Ferias in Monte Albano diverſas omnino fuiſſe a *Conventu Latinorum*, qui ad Caput Aquæ Ferentinæ, ſive ad Lucum Ferentinæ, cogi, priſcis Latinæ Reipublicæ temporibus, conſueverat. Siquidem Latinæ Feriæ, in ſummitate Montis Albani: Latinorum vero Concilium, ad radices Montis Albani. Latinæ Feriæ, Jovi Latiari: Concilium, Ferentinæ deæ. Feriæ, in Templo Jovis ejuſdem: Concilium, in Luco, & ad Caput, ſive Fontem aquæ, numini deæ Ferentinæ ſacræ. Feriæ, ab Latinis ſimul atque Romanis, pro fœdere inter ſe renovando: Concilium, ab ſolis Latinis Priſcis, de rebus ad commune Latini nominis bonum ſpectantibus, & non ſemel contra Romanos. Feriæ, denique, quotannis, & ad Chriſtianorum uſque ſæcula: Concilium vero, incerto tempore, pro ut res poſceret, & tantum uſque ad Conſulatum M. Valerii Maximi, & P. Decii Muris; nempe ad Urbis Conditæ annum CCCCLXI. ut eſt apud Cluverium, ſeu potius CCCCXIII. aut CCCCXV. ut apud alios, facta ſunt. Atque hæc quidem utramque inter celebritatem diſcrimina, quod ad Ferias attinet, ſatis oſtendimus. Quantum vero ad Latinorum Concilium ſpectat, nunc oſtendamus. Sub Monte Albano Ferentinæ aquæ Caput fuiſſe, ibique conveniſſe Latinos de Republica tractaturos, teſtis eſt Feſtus: *Albanos* n *rerum potitos uſque ad Tullum Regem. Alba deinde diruta, uſque ad M. Valerium Maximum & P. Decium Murem Conſules, populos Latinos ad Caput Ferentinæ, quod eſt ſub Monte Albano, conſulere ſolitos, & Imperium communi conſilio adminiſtrare.* & Livius de Turno Herdonio Aricino, Arici-

n *Lib.* 14. *v.* Prætor

ricinorumque principe, per dolum a Tarquinio Superbo circumvento atque ſublato, in Concilio Latinorum, *Dejectus eſt*, inquit, [o] *ad Caput aquæ Ferentinæ*. Quid ſibi vult autem hæc vox *Caput aquæ?* Certe *Fontem aquæ* ſignificat, ſeu ſaltem locum ubi ex pluribus rivulis in rivum majorem confluentibus copioſior aqua manare ac defluere incipit. Hinc Horatius initio Libri primi Carminum: o *Lib.* 1.

Stratus nunc ad aquæ lene Caput ſacræ.

Sic & noſtra Italica, dicimus hujuſmodi rivum, *un Capo d' acqua*, *un groſſo Capo d' acqua*. Cur vero *Ferentinæ?* quia illuc Latini populi *ferebant* quiſque ſententiam de Reipublicæ negotiis; venales etiam res, Conventus occaſione. Unde Dionyſio idem locus, *Forum eſt Ferentinæ*; aliis *Oppidum Ferentinæ* vel *Ferentinum*. Nundinæ enim per eos dies quibus Latinorum procerum Conventus durabat, a mercatoribus agitabantur, advenis primo atque convenis. mox, ubi lucri ſpes certior effulſerat, incolis etiam atque oppidanis. Hinc Caput aquæ Ferentinæ, factum eſt *Oppidum Ferentinæ*, ſive *Ferentinum*. Quod autem crebræ inter eos mercatores de commerciis ac mercimoniis lites inciderent; Magiſtratus aliquis ad eas decidendas a Republica Latinorum fuit conſtitutus, qui ad Ferentinæ aquæ Caput jus diceret. Ex quo *Forum Ferentinæ* factum eſt. Fora enim, antiquitus, ea proprie loca dicta ſunt in quibus, Prætor aliquis, aut ex reliquis Magiſtratibus alius quiſpiam, publice jus dicebat. Porro *Lucus Ferentinæ* locus idem dictus eſt; eo quod aqua Ferentina ſine numine peculiari non putaretur, Capitis præſide. eratque ex illis de quibus Horatius: p p *Od.* 1. *L.* 1.

Stratus nunc ad aquæ lene Caput ſacræ.

Itaque *Ferentina dea* habita eſt loci præſes; quam

luco & aris & ſacrificiis, ut propitia foret, Latini coluere. ſic dicta, quod ſententiæ ſapienter ac provide ferendæ præeſſe putaretur. vel certe, quod illuc Latini liborum aliquid ſinguli ad ſacrificia *ferebant*. Minutorum hujuſmodi ac peculiarium deorum ac dearum ſcobem copioſiſſimam, a Priſcis Latinis, Hetruſcis etiam aliiſque ſimulacrorum cultoribus populis invocatam, nemo neſcit. Nomina quoque ab officio vel cura cui præeſſe credebantur, illis, ut plurimum, impoſita. Sic ruri deam *Ruſinam*, collibus *Collatinam*, vallibus *Valloniam*, ceteraque his ſimilia ſexcenta, apud Divum Auguſtinum legere eſt.

q *De Civ. Dei L.4.C.8.* *q* Jam vero, quonam potiſſimum tempore hæc Latinorum Concilia agitari cœpta, quotque agitata fuerint, non liquet. Multa Dionyſius, Livius multa, dum Roma ſub Regibus erat, primis etiam Romanæ Reipublicæ ſæculis, memorarunt. Plura quoque in

r *Vet. Lat. L. 1. C. 8.* Libro hujus Operis primo referuntur; *r* quibus propterea iterum hic recenſendis parcendum. Unum tantum alterumve Dionyſii ac Livii locum de Latinorum Concilio ad Ferentinæ, ſub Monte Albano, ut magis narrata hactenus confirmentur, adduco. Quo tempore igitur Tullus Hoſtilius Romanorum rex tertius, anno poſt Albam dirutam quartodecimo, Legatos ad triginta urbes quæ Albanorum ditionis fuerant, miſit; ut, quomodo eatenus Albanis, ita in poſterum ſibi, Romaniſque ſuis parerent; Legatis a nulla Civitate privatim quidquam

ſ *Lib. 3.* reſponſum eſt. *Sed indicto*, inquit *ſ* Dionyſius, *Ferentinum publico gentis Concilio, decernunt; Imperio Romanis haud cedendum eſſe; moxque duos Imperatores* (alias *Prætores*) *eligunt, penes quos eſſet belli paciſque arbitrium: Ancum Publicium Coranum, & Spurium Vecilium Lavinienſem*. Tarquinius vero Priſcus Hoſtilii in regno

poſt

poſt Ancum Martium ſucceſſor, cum plura ex Latinis oppidis expugnaſſet; alia in Romanorum amicitiam & ſocietatem, certis quibuſdam pacificis conditionibus, adduxit. Terruit hoc Latinos. itaque veriti ne Romanus univerſam gentem ſuæ ditioni ſubjiceret; univerſæ Conſilium adhibuere. Ergo *in oppidum*, (perſequitur narrationem Dionyſius) *Ferentinum conventu indicto, decretum eſt, delectus oppidatim habendos eſſe, & ciendas ad arma fortiſſimas propinquarum gentium; moxque Legati ad Hetruſcos & Sabinos, impetrandæ ſocietatis cauſſa dimiſſi ſunt.* En, quæ in Conventibus Latinorum, ad Ferentinæ, agitari conſuevere. Nonne, ab fœderis innovatione cum Romanis quotannis habita, in Montis Albani vertice, apud Latialis Jovis, Latinis Feriis, hæc ſatis differunt? Anno tandem Urbis Conditæ CCCCIV. *Concilia t Latinorum*, inquit Livius, *ad Lucum Ferentinæ habita*; t *Lib.* 7. *reſponſumque haud ambiguum, imperantibus milites, Romanis, datum; abſiſterent imperare iis quorum auxilio egerent: Latinos pro ſua libertate potius, quam pro alieno imperio, laturos arma.* Ceterum, ea ratione Priſci Latini ad Lucum, ſive Fanum, Ferentinæ, ſub Monte Albano conveniebant, qua Hetruſci veteres ad Fanum Voltumnæ, ſive Volturnæ, ad radices Cimini Montis, publice convenire ſolebant. & antiquiores utriſque Amphictyonii in Græcia, de Reipublicæ ſumma diſceptaturi. Porro, Ferentinæ aquæ Caput, Lucus, Fanum, Forum, Oppidum ad radices Albani Montis in Albana valle fuit circa oppidum modo *Marino* appellatum. hoc enim ad ipſius Montis radices jacet, & copioſo aquæ capite nunc quoque irrigatur. Caput hoc antiqui lapides *Rivum* etiam *Aquæ Albanæ* nominavere. Sic unus, ab Holſtenio in hortis Joannis Columnæ viſus, a-

pud

pud Marinum oppidum, quod in Columnenſium ditione in hanc uſque diem perſeverat:

AD RIVOM AQVAE ALBANAE

Neque hoc impedit quin poſterioribus ſæculis locus idem aliis nominibus fuerit appellatus. vel a Mariis, qui villam in proximo haberent, *Marianum*; vel *Cerete Marianum*, ab Julio Frontino memoratum; quod arriſit Holſtenio. Qui etiam memorat, municipium hoc idem aliquando fuiſſe; atque ita nominari in vetuſto Lapide, Marini effoſſo, dum Columnenſes horti anno a V. P. MDCXXXII. & villa amœniſſima pararentur. eo namque Lapide legebatur: *M. Julio Silani L. Monimo locus honoris cauſa datus extra Portam Medianam a Decurionibus Municipii*. Quæ infra, ſuis locis, omnia.

Ceterum, in dimidio ferme aſcenſu Montis Albani, etiam poſt Albam dirutam, aliud veterum Latinorum oppidum fuiſſe videtur. *Forum Populi* ſive *Popilii*, ex Plinio, Cluverius dixit. Suamque ex Ovidio ſententiam confirmare conatus eſt, ſic ajente de menſe Martis: *u*

u *Faſt. L. 3.*

Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus acer,
Atribus hunc primum turba Forenſis habet.

Ait enim, Ovidium carminis gratia *Forenſes* dixiſſe, quos Plinius *Foropopulienſes* vocavit. At, inſurgens in Cluverium, de more, Holſtenius, *x* illum ex Falerno in Albanum Montem, Forum Populi, ſive Popilii, tranſtuliſſe, redarguit. locumqne Plinii ſic legendum, *Fabienſes* in Monte Albano, *Foropopulienſes*, ſive *Foropopilienſes* ex Falerno. Attamen Holſtenius, ipſe ſibi eodem loco contradicens, ad vocem Cluverii, *Forum Populi*, adnotavit hæc: *Puto fuiſſe eo in loco ubi nunc* Rocca di Papa. *Nam in ſummo monte locus oppidulo non fuit*. Quid ais, vir clariſ-

x *In not. ad Ital. antiq. pag. mihi* 179.

riſſime? ſi Cluverius per te ex Falerno Monte tam male in Albanum tranſtulit Forum Populi; cur tu idem, id Forum eo loco in Albano Monte fuiſſe putas ubi nunc oppidulum *Rocca di Papa?* Sed his omiſſis: ad Ovidii teſtimonium reponit Holſtenius: *Legendum ibi eſſe non "Turba Forenſis"* ſed *"Turba Curenſis"* ita ut de Curibus parvis, & paupere terra, Numæ patria, in Sabinis, ibi ſermo ſit. Quod quamvis ſit veriſimile; ſequitur enim Ovidius:

Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit. huic genti quartus utrique deus:

ipſum nihilominus oppidulum præſens, *Rocca di Papa* nominatum, in ruinis oppidi quod *Fabium* diceretur, a quibus Fabienſes in Monte Albano apud Plinium, crediderim: ex eo ductus, quod ſæpiſſime nova oppida in veterum ruinis, vel circa illas ædificari conſuerunt. quæ namque cæli ac ſoli commoda primos conditores ad incolendum invitaverant, eadem novos ad idem præſtandum iterum allexerunt. addito inſuper quod veterum ædificiorum cæmenta & rudera, materies ædificando tam opportuna, in loco reperta novum ad inhabitandum illicium ſemper fuerunt. Num autem oppidum Fabium in Monte Albano prima Romanæ Gentis Fabiæ generoſiſſimæ patria fuerit; num ſedes Fabiæ Tribus, unius ex ruſticis, de qua inter ceteros Horatius: *y*

Hic multum in Fabia valet, ille Velina,

mihi plane non liquet. Illud quidem conſtat; oppidulo *Rocca di Papa* nullatenus antiquum *Algidi* vocabulum convenire; quod quidam ſcripſere. neque lata illa prata quæ juxta id oppidum ſunt, locum Caſtrorum Annibalis fuiſſe, unde ſuis militibus Romam oſtenderit, vulgo *Campi d' Annibale*. Siquidem latum fuit diſcrimen ſemper Albanum inter atque

y *Ep.* 6. *l.* 1.

Al-

Algidum Montes, Albana vallis, & Latina via. neque ulla, prudens quidem, cauſſa cur Annibal Romam properans exercitum in Albanum Montem a recta ſua via ſeparatum omnino atque diviſum ſeduceret. quod potius factum in Campis alteri recenti oppidulo proximis vulgo *Rocca Priora*, in Algidi vicinia, merito exiſtimamus; & qui, ante nos, in villa Tuſculana Aldobrandinorum, aquæ ad hydraulicos luſus eo deductæ ab Algidinis montibus meminere. Concipitur enim aqua illa, quam ab Algido deductam inſcriptus Lapis commemorat, in ſpecu Montis, apud quem præſens oppidum *Rocca Priora*. Quæ omnia opportunius, ubi de Algidenſibus, explicabimus. Jam vero illud maxime memorandum quod in Monte Albano accidiſſe, prodidit Livius; Lapidum nempe pluvia. Livii verba: [z] *De victis Sabinis, quum in magna gloria, magniſque opibus regnum Tulli, ac tota res Romana eſſet; nunciatum regi patribuſque eſt, in Monte Albano lapidibus pluiſſe. quod cum vix credi poſſet; miſſis ad id viſendum prodigium; in conſpectu, haud aliter, quam cum venti grandinem glomeratam in terras agunt, crebri cecidere cælo Lapides. viſi etiam audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis luco, ut, patrio ritu, ſacra Albani facerent.* Quæ ſi credere dignum eſt, mali dæmonii opus, aut certe præſtigiæ fuere, exſecranda ſacrificia, jam intermiſſa, ſibi a deceptis populis inſtaurari cupientis. Ceterum, lucis olim ac ſilvis abundavit hic Mons, hodieque abundat; in quibus non tantum quercus, atque ilices, glande pecus, & dominos umbra juvant; ſed etiam mollium caſtanearum vis multa. Columnenſium, Romanorum regulorum, locus adhuc eſt in ditione; quorum & oppidulum *Rocca di Papa*, & villa *Palazzolo*. Antiquorum Romanorum villis olim celebris

z *Lib.* 1.

fuit,

fuit, ac præcipue Domitiani Cæſaris, P. Clodii, ac Statii Papinii. De illis tamen alio loco, ſimul cum reliquis in Agro Albano villis, agemus. Aliis quoque, præter Latialis Jovis, templis celebris fuit Mons Albanus; ac præcipue Veſtæ & Junonis Monetæ. De quibus, utpote reliquiis exciſæ Albæ, opportuniore loco differemus. In præſens pluribus ab imo ad ſummum hic Mons religioſis viris, nunc ſeparatim, nunc conjunctim, degentibus incolitur. Nec lucis ſolum ac ſilvis, ſed & vineis felix eſt. ex quibus nunc etiam Albanum illud vinum quod antiquitus tantopere in pretio fuit, exprimitur. De quo tamen, quod non in ſolo Monte, ſed in reliquo etiam Albano Agro proveniat, alibi dicendum eſt. Interim illud notandum, ſæpiſſime ab antiquis ſcriptoribus Græcis æque ac Latinis, poetis præſertim, *Albam* pro Albano Monte, in quo Albæ Longæ olim ſedes, uſurpari.

Denique antiquiſſimam apud priſcos Latii populos Albani Montis religionem fuiſſe, vel ex hoc Horatii teſtimonio conſtare poteſt, quo Muſarum ibidem Oracula olim edita, creditum vulgo fuiſſe innuitur. ſic enim in ſua ad Auguſtum Epiſtola, de Populi Romani corruptis circa rem Poeticam judiciis, Horatius meminit: *a*

a 1. *Lib.* 2.

Sic fautor veterum, ut, tabulas peccare vetantes,
Quas biſquinque viri ſanxerunt; fœdera regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis,
Pontificum libros, annoſa volumina vatum,
Dictitet Albano Muſas in Monte locutas.

CAPUT V.

De Lacu Albano.

ONTE ſub Albano Lacus jacet, *Albanus* pariter olim dictus. Recentioribus vero ſæculis, ab oppido, arcis inſtar & caſtri, in meridionali ejus ripa exſtructo ab Gandulpho Sabello Comite, ex Sabella Gente, inter Romanas generoſiſſima, quod *Caſtel Gandolfo*, de conditoris ſive domini nomine vocatum eſt, Lacus quoque inde dictus *Lago di Caſtello* aut *di Caſtel Gandolfo*. De illo ea primum quæ apud veteres Latinarum Antiquitatum ſcriptores memoratu digna inveniuntur, afferemus; mox, quæ poſteriores eruditi viri notarunt; denique cetera quæ nos ipſi fidiſſimo oculorum teſtimonio inſpeximus, recenſebimus. Ac primo de natura & ſitu Lacus Albani Dionyſius: *a* Ἡ δὲ λίμνη βαθεῖά ἐϛι, καὶ μεγάλη, καὶ αὐτὴν διὰ κλειϛιάδων ἀνοιγομένων ὑποδέχεται τὸ πεδίον, ταμιευομένων ὁ πόϛα βέλονται τῶν ἀνθρώπων τὸ ὕδωρ. nempe: *Lacus profundus eſt ac magnus: ex quo, reductis clauſtris, in ſubjectos campos diſpenſatur aqua, collicibus, arbitratu agreſtium*. Jam hunc Lacum pro muro veluti munitiſſimo ac foſſa, Albam olim Longam, in ſuo margine ſitam, Occidentem ſolem ac Meridianum ſpectantem habuiſſe, in ſuperioribus narratum eſt. Porro antiquis perſuaſum fuit, ante Vejentium cum Romanis bella, Lacum Albanum nullas ſubterraneas foſſas quibus aquam alio diffunderet, penitus habuiſſe. Emiſſarium autem aquarum, ob inſigne tantum prodigium, & oraculi monitu, ab Romanis in fine belli Vejentis factum. Rem *b* Livius, Valerius Maximus, Plutarchus, & ante illos Cicero, plu-

a *Lib.* 1.

b *Liv. L.* 5. *Cic. de Divin. L.* 1. *Plutarch. in Camillo.*

pluribus meminere. Ex quibus eam narrationem ſic concinnavimus. Veji, antiquæ Hetruriæ urbs potentiſſima & opulentiſſima, decennium jam ab Romanis oppugnabatur; jamque celeberrimos Trojæ labores non æquabat modo, ſed ſuperabat, nulli neque aſſultui, neque dolo obſidentium pervia. Cum, ecce tibi, medio belli ardore, res accidit Albano Lacui cum quovis rariſſimo miraculo conferenda. Cujus quia naturalem obviamque cauſſam plerique omnes ignoraverunt; ingenti univerſos adparens & improviſo timore perculit. Æſtatem jam jamque extremam autumnus prope excepturus erat; cum Albani Lacus aqua, nec cæleſtibus aucta imbribus, nec ventis turbata vel tumefacta auſtralibus, in inſolitam, nec ſane ad eam diem umquam antea viſam, altitudinem extemplo excrevit. Ceterum, amnes rivique ac fontes quotquot irrigua quam maxime gaudet Italia, nativam omnes conſuetamque altitudinem non excedebant. quin etiam flumina vel copioſiſſima, id temporis, perquam humili alveo deferebantur. Unus Albanus Lacus, qui neque aliunde tunc ducere credebatur originem, neque alio ſeſe effundere, fertilibus cinctus collibus, nulla ex cauſſa quæ quidem obvia foret humanæ inveſtigationi, divina proinde, ut putatum eſt, inflatus adeo manifeſte intumuit, ut ad dorſa montium, quibus circumdatur, non tantum pertingeret, ſed tumulos ipſos præaltarum riparum exæquaret. Nulla tamen in tanto incremento æſtus ſigna, nulla commotionis, aut fluxus, argumenta. Id paſtoribus primo qui ſemper virentes margines paſcendis gregibus circumibant, bubulcis quoque ac ceteris agreſtibus, miraculo eſſe. mox, ubi dorſa ipſa celſiora riparum, quibus, velut iſthmo, aut aggere, a ſubjectis campis arcetur, altitudine magiſ-

que magiſque excreſcentium aquarum ſuperavit; per ſata atque plantas magno impetu ſibi alveo atque itinere facto, in mare defluxit. Quod ubi Romam nuntiatum eſt; ingenti, quidnam tantum prodigii ſibi vellet, quidnam portenderet, pavore ac ſollicitudine omnium animos ſuſpenſos habuit. Novique miraculi vulgata continuo fama ceteros quoque per univerſam Italiam populos, triſte ne forte quod omen eſſet proxime imminentium calamitatum, vehementer exterruit. At Romani Delphos, ad oraculum, Oratores ſciſcitatum mittunt quid hoc prodigii eſſet; quibus piaculis averti atque averruncari; quo tandem facto opus. Dum hi viam ingreſſi, donec ab oraculo revertantur cum reſponſis exſpectarentur; accidit ut induciæ quædam ſub Vejorum mœnibus obſidentes inter atque obſeſſos fierent; ac per eam occaſionem Romani quidam milites cum egreſſis nonnullis Vejentibus amica commercia agitarent. In quibus, inter potandum communibus poculis, & inter ludendum, de Lacus Albani tam portentoſo ac prodigiali augmento, factaque in mare excurſione, communis pariter ſermo incidit. Quod miraculum dum pars utraque in ſibi felix augurium trahere ſua quiſque interpretatione conatur; res de ridiculo magis quam ſerio agebatur. Donec Vejentium unus ſenior, *Ego vero*, inquit, *Hetruſca ſatis haruſpicina excultus, quid Albani Lacus incrementum, quid excurſio fauſti infauſtive ominis portendat, certiſſime, quovis dubio, quavis hallucinatione procul, certiſſime, inquam, ſcio. Nec divum monita, nec ars mea me fallunt, aut poſſunt fallere.* Vix hæc; & in verbo Romani milites ad Ducem eorum, & Dictatorem Camillum, male cautum haruſpicem Hetruſcum, atque interpretem, vi perducunt. Edicat ſane, quidquid tandem divum monitu, & ſuæ ar-

tis

tis præceptis, Albani Lacus præſens prodigium portenderit. Tum Vejens, *Atqui*, inquit, *quandoquidem occultas patriæ meæ ſortes vel invitus hodie aperire cogor, aperiam ſane. Operam, itaque, omnem ludetis deinceps, Romani, quemadmodum decennem hactenus in Vejorum oppugnatione luſiſtis; nec enim hanc urbem patriam meam expugnabitis aliquando; donec Albani Lacus aquam retro ab curſu ſuo a mari reduxeritis, & ab ipſius maris ingreſſu in perpetuum prohibueritis.* Vaticinio fides continuo adhibita; juſſumque a Romanis uti Albani Lacus aqua, quoad ejus fieri poſſet, a mari in priſtinum alveum, ſeu cratera, reduceretur. ſin minus id poſſet; rivis foſſiſque per agros diviſa, penitus ab arvis intercepta, ne in mare tenderet, exſtingueretur. Sed hoc, non unius Hetruſci haruſpicis ſive interpretis reſponſum fuit. Libri quoque fatales, Sibyllinos credo, idem ſic afferebant: quando aqua Albana abundaſſet, tum ſi eam Romanus rite emiſiſſet, victoriam de Vejentibus dari. antequam id fiat; deos mœnia Vejentium deſerturos non eſſe. Delphicum tandem omnia ſancivit oraculum. Cum enim Romani, deſperata ope humana, fata & deos ſpectarent; Legati ab Delphis venerunt, ſortem oraculi adferentes, congruentem reſponſo captivi vatis: *Romane, aquam Albanam, cave, lacu contineri; cave, in mare manare ſuo flumine ſinas. emiſſam per agros rigabis, diſſipatamque rivis exſtingues.* Hactenus, pluribus, ex Valerio Maximo, Livio, & Plutarcho enarrata, ſic Cicero perpaucis complexus eſt: *Quid quod in Annalibus habemus? Vejenti bello, quum Lacus Albanus præter modum crevisſet, Vejentem quemdam ad nos hominem nobilem profugiſſe, eumque dixiſſe; ex fatis quæ Vejentes ſcripta haberent, Vejos capi non poſſe, dum Lacus is redundaret: & ſi Lacus emiſſus lapſu & curſu*

curſu ad mare profluxiſſet, pernicioſum Populo Romano; ſin autem ita eſſet eductus, ut ad mare pervenire non poſſet; tum ſalutare noſtris fore. Ex quo illa admirabilis a majoribus Albanæ aquæ facta deductio eſt. Et rurſum breviſſime, altero de Divinatione Libro: *Nam illa prædicta Vejentum ſi Lacus Albanus redundaſſet, iſque in mare fluxiſſet, Romam perituram: ſi repreſſus eſſet, Vejos . .* (deſunt nonnulla) . . . . . *ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri ſuburbani; non ad arcem urbemque retinendam.* Poſtremis quibus ex verbis ſenſum ſuum ſatis diſerte Cicero aperuit, circa id prodigium, quantumque fidei iis oraculis præſtaret. minimam oppido, ac plane nullam. Verum, infra, illud idem aliquantulum nos quoque diſcutiemus. Igitur per ſubterraneum Emiſſarium, Lacus ſinu effoſſo, aqua Albana eſt deducta. Hujus Emiſſarii, ſive, ut Cluverius vocat, *Inciſuræ* montis, tenue quoddam veſtigium tantum, in margine Lacus, qua Occaſum ſolis proſpicit, obſervaſſe Cluverius idem ſibi viſus eſt. At vero Lucas Holſtenius in ſuis ad Italiam Antiquam Cluverii Notis, neque tenue, neque veſtigium, ſe hujus deductionis & oſtii deprehendiſſe teſtatus eſt; quin immo Emiſſarii maximi, & plane ſtupendi operis veſtigia permulta, qua ripis Lacus clauditur in Meridianam plagam, ſub ruderibus veterum ædificiorum, quæ villæ Domitiani fuiſſe judicavit; loco ubi nunc ædes *Franciſcanorum Patrum*, quos vocant. Opus ſane, ait Holſtenius, ſi quod aliud, ſpectatu & admiratione digniſſimum ob cuniculum per montis viſcera ad mille & quingentos paſſus actum; ex quo molares lapides prægrandes continuo volvuntur aquis perpetuo defluentibus. tum etiam ob ſubſtructiones elegantiſſimas, ſecto & quadrato Albano lapide, in Caſtelli ſive ciſternæ formam exſtructas,

cum

cum eximio Dorici operis fornice. Haud procul etiam ab his, ingentia, verſus Septemtriones, viſuntur camerata, ſive cubicula, ſive ambulacra vocare malueris, fornicibus muriſque lateritiis ſuffulta, cum labris aliquot ſaxo vivo exciſis; quibus perennes frigidarum aquarum fontes colliguntur. Totus locus templi, ſive fani, ſpeciem præſeferre videtur; Nymphis fortaſſe dedicati. Cingitur autem mole lapidea ex ingentibus ſaxis quadratis, quæ, ad trecentos paſſus, integra fere adhuc, ſub undis conſpicitur: eo præſertim loco ubi ima collis ejus in quo arx Caſtelli Gandulphi exſtructa eſt, crepido, promontorioli in ſpeciem, longius in Lacum excurrit; ubi veteris villæ, ſive alterius ædificii, veſtigia maxima detecta, & multa antiquitatis monumenta effoſſa, ſe, anno Reparati Orbis trigeſimo quinto ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, vidiſſe memoravit Holſtenius. duas præſertim Nympharum ſtatuas elegantiſſimas, quæ fonti olim villæ fuerant appoſitæ. Ut taceam tabulas ſecti marmoris, & capitella columnarum, quorum vis magna ibidem jacere detecta eſt. ornamenta certe villæ Domitiani magnificentiſſimæ, quæ in ſuperiori Albani Collis iſthmo exſtructa, Lacui hac parte imminebat. Niſi ibidem eorum etiam ruderum partem aliquam regiæ antiquiſſimæ Albanorum regum domus, quæ tot ſæculorum ſeriem vicerit, atque adhuc exſtet, exiſtimare, abſurdum nimis, & a veriſimili nimium abhorrens fuerit. Ajunt enim ſcriptores aliqui eruditi, eodem loci, dum ſtetit Alba potens albæ ſuis omine nata, regias Albanorum regum ædes conſtitutas fuiſſe. De quibus in recenſione Albanorum regum hæc memoriæ prodidit Dionyſius: *c Poſt Agrippam, undeviginti* (annos regnavit) *Alladius*, (quem

c *Lib.* 1.

alii

alii *Aremulum* ſive *Remulum* vocant) *vir impius & tyrannicus. Is deorum contemtor commentus eſt quomodo imitaretur tonitrua; ſtrepitus ac fragores edens fulmineos, ut civibus attonitis haberetur pro deo. Sed imbribus & veris fulminibus in ejus ædes irruentibus, Lacuque, juxta quem habitabat, exundante, præter ſolitum, diluvio cum ipſis ædibus abſumtus eſt. Et nunc quoque deficiente Lacu, & aquis decedentibus, per tranquillitatem, ſpectantur diruta cœnacula, & habitationis alia veſtigia.* En ut etiam ad Dionyſii ætatem, qui ſub Auguſto floruit, Regiæ dirutæ Albanorum regum veſtigia ſub aquis, ſive ad aquarum limites, cernebantur. In hanc ſententiam, quod, ſcilicet, eo loco Arx Albana, & regia Albanorum domus fuerit, Holſtenius etiam conſentit; caſumque Alladii, ſeu Remuli, aut Aremuli Silvii regis, & domus ruinam, quam ex Dionyſio narravimus, Scriptoris de Origine Gentis Romanæ, atque Aufidii auctoritate confirmat, aitque, ideo ibi ſitam Albanorum regum arcem, ac domum in arce, ſe credere; quod tumulus, ubi nunc Caſtellum Gandulphi Comitis, eminentior ſit reliquis totius marginis quæ Lacum circumdat, tumulis; ſi Albanum Montem, qui tamen aſcenſu & cacumine longius a Lacus margine recedit, exceperis: quodque ſub hac parte margo Lacus ſit admodum præceps. Et hæc quidem ad Holſtenii ætatem uſque, Albani Lacus detecta ſunt vetera monumenta.

At vero Athanaſius Kircherius noſter Lacus ejuſdem poſtea inveſtigator fuit multo diligentiſſimus, & oculatiſſimus inſpector, atque exactiſſimus menſor. *d* Quæcumque igitur de illo notavit & ſcripſit, breviter hic merito ſunt apponenda. Itaque hujus teſtimonio, complectitur Albanus Lacus gyro millia paſſuum octo; marginemque crateris altiorem

d *In Deſcript. Latii Cap.* 4.

mo-

modo, modo depreſſiorem habet. Altiſſimus eſt ubi ædes Franciſcanorum, juxta Columnenſium villam, *Palazzolo*, conſurgunt; infra Albani Montis radices: ubi vero ſilvam Marini oppidi attingit; humillimus. Quare altitudo ſive profunditas vallis aut crateris ad perpendiculum diligenter examinata; ad ſuperficiem uſque Lacus, deprehenſa eſt, ubi quidem maxima, pedum quadringentorum octoginta: ducentorum vero duorum & nonaginta, ubi minima. Marginem crateris coronant tres religioſorum virorum exſtructæ ædes, ſub diſciplina Aſſiſiatis Franciſci (quamvis alii alia ratione) Deo Optimo Maximo famulantium. juxta Columnenſium villam primæ; infra quas ſolitarii hominis caſa cum hortis ſatis excultis. alteræ *Fratrum Cappuccinorum*, quos vocant, quibus, longo tractu, amœniores inveniri vix poſſe puto. Ab vicina urbe Albano *I Cappuccini d' Albano* nominantur: edito ſemper atque aperto loco, maxime longinquo agrorum proſpectu fruuntur. viridariis, ſilva, ambulacris, fontibus, nec non ſeptem ſacrarum Stationum ſacellis, in editioribus adhuc tumulis exſtructis, ſunt ornatiſſimæ. Lacus, Albanum & Nemorenſem, ſeu Aricinum; mare etiam, ex editiori hortorum parte, proſpectant: & quidquid, extremis tandem Apenninorum verticibus, agrorum ac ſpatii longe lateque concluditur. Tertiæ ædes, *Minorum* pariter, non longe ab iſtis viſuntur. Poſtea Caſtrum ſive Caſtellum a Comite Gandulpho Sabello, Romano regulo generoſiſſimo, cujus olim fuit in ditione, *Caſtel Gandolfo* appellatum. quo Romani Pontifices Maximi ruſticatum ſæpe divertere conſueverunt. Hos inter, Alexander Septimus, Chiſius, ſacram ædem ibidem a fundamentis erexit, complevit, ornavit; & Pontificias quoque

ædes ſucceſſoribus laxavit; ac picturis, aliiſque ornamentis, pretioſas, dignaſque quæ a Summo Sacrorum Pontifice incolerentur, effecit. Quin etiam viam proſpectibus amœniſſimam, ad Columnenſium uſque Villam, *Palazzolo*, rupibus ac ſemiſepultis ruderum impedimentis æquatis atque ſublatis, inſtravit. Supremo ſic margine Montis pariter ac Lacus luſtrato; ad ima deſcendentibus ſeſe Piſcatorum domus offert nullo non tempore dolis omnibus atque inſtrumentis ad piſces fallendos, nunc animi, nunc quæſtus gratia, perabunde inſtructa. ad cujus oras lembuli nonnulli haud quidem ſatis capaces. Ex his unius beneficio, ipſius aquæ altitudo, jacto fune ac plumbo tentata, inæqualis, ut fit, eſt reperta. alio enim profundiſſima, alio vix profunda. Ceterum, ſub dorſo Albani Montis, infra ſolitarii illius hominis tugurium, nulla bolide explorabilis, re ſæpius tentata, ſemper eſt viſa. Jure, itaque, Kircherus exiſtimavit, eo loci, Lacum ſubterraneo flumine, ſeu fonte, aquarum ex intimis Albani Montis viſceribus magna vi defluentium, perpetuo ali. Cauſſam enim cur Lacus ſolum imum ibidem jactu nullo attingi ac deprehendi poſſit, hanc attulit non incongruam; quod, ſcilicet, vehemens aquarum e ſecretis montis defluentium perpetuus curſus bolidem, quomodocumque jeceris, ſemper abripiat; nec recta ad ima deſcendere umquam aut uſpiam ſinat: numquam enim funis cui plumbum alligatum ad perpendiculum deorſum deſcendere ſinebatur; ſed obliquis motibus jam verſus montem, verſus lacum modo, inſtabili impetu abripiebatur. Si autem, Lacus (ut mihi quoque veriſimillimum fit) perpetuis Albani Montis aquis ſecreto alitur, jam optima inſoliti ejus incrementi quod ſub finem Vejentis bel-

li

li intercidit, ſubeſt, intra ipſas naturæ vires ac leges, cauſſa in quam referatur. aliquo, ſcilicet, inteſtino terræmotu, ventove ſubterraneo, aquas ſive aquarum collectionem, intra viſcera Albani Montis abditas, inſolito quodam ac vehementiori impetu foras expellente, Lacus ad ſummum uſque marginem oppletus, earumdem vim illam effudit quæ ad uſque mare pertingeret. Conſcia autem occulti hujus naturæ operis dæmonia, fabulis ad miſeros ſimulacrorum cultores in ſui fide cultus arctius detinendos abuſa ſunt. Ceterum, Albanæ aquæ deductio, ſive derivatio, Ciceroni, non ob prodigium (cui profecto illum nullam adhibuiſſe fidem comperimus) verum ob magnitudinem operis atque molium in ea derivanda, *admirabilis* dicta eſt. quod ad hæc uſque tempora liquido apparet. Nam ſub Gandulphi Caſtro, ejuſdem Kircherii exploratiſſimo teſtimonio, in clivo marginis pedes fere ſexcentos deſcendentibus magna denſiſſime conſitarum arborum vis occurrit; quæ oſtii ab Romanis ad has aquas, bello Vejenti, emittendas exſtructi os quod contegant; illud ſine ſatis locorum perito duce invium ferme reddunt illæ quidem: haſce tamen inter arbores, in lacum proclives, lembulo intrantibus, ingens, e regione, arcus occurrit, quadratis lapidibus, ingenti mole; prægrandis inſtar portæ conſtructus. quo ubi ſubieris, tum canalis, ſive aquæductus, latitudinis palmorum ſeptem ſeſe ſpectandum offert. Altitudo fornicis varia. ubi maxima; palmorum decem, deprehenſa. Ductus hic, perforato Caſtri Gandulphi monte, trecentorum pedum profundo hiatu, mille ſupra quingentos paſſus, amfractibus & mæandris permultis, obit longitudinis: donec, in ſuburbano Albani oppidi exitum ſortitus, molares lapides

pro terendis frugibus ad volvendos, e tenebris emergit. Ex hinc ad *aquas Silvias* festinans, Tiberi paulo post miscetur. religione veterum servata, ne ominoso Romanis cursu, mari misceretur. Ductus aquæ altitudo palmorum quinque anno quo exploravit Kircherius, fuit: at, variantibus modulis esse, pro annorum ac temporum siccitate, aut ubertate, non dubitandum. Nam rursum Kircherio ejusdem aquæ, anno a V. P. sexagesimo secundo supra millesimum & sexcentesimum, altitudinem exquirente ad duos, & vix quidem, eam palmos demergi comperta est.

Ceterum, Plutarchi, aliorumque veterum scriptorum opinio quod Albanus Lacus nullum, ante ostium a Romanis bello Vejenti in eo factum, exitum haberet per quem alio suas aquas effunderet, re, falsissima esse deprehensa est. Quod tamen vel ipse communis hominum sensus dictabat. Si enim nullum habuisset; prodigium, oppido, multo majus ac perennius fuisset; quod nusquam exundans, suo semper alveo contineretur; licet assiduis pluviarum aquis perpetuo augescceret; quam quod semel tantum insolito illo incremento auctus, effusus esset. Igitur Albanus Lacus occulta, quibus aquæ intrant exeuntque, ostia perpetuo patentia, a providentissima rerum natura, & Divino Numine naturæ auctore, sortitus est. Nam & ex visceribus Albani Montis occulte descendentibus aquis continuo alitur; & subterraneis meatibus ad Septemtriones, aquis exoneratur. aliis quidem *Scabram* sive *Crabram aquam*, quæ Tusculanos agros alluit, producentibus; aliis vero *Ferentinas*, quæ ad *Caput aquæ Ferentinæ* prope Marinum congregatæ effunduntur. Secreta quoque aquarum commercia hic Lacus cum Nemorensi Lacu

fo-

Tab. I.

VETERIS ALBANI LACUS et Albæ Longæ aliorumque adjacentium locorum descriptio.

Algidus Mons.

Campus Hannibalis olim Locus Feriarum Latinarum.

Volscorum Regni pars.

Velitræ.

Templum Jovis Latiaris

Forum Populi hodie Rocca di Papa

Mons Albanus hodie Monte Cavo.

Templum Veneris

Alba Longa ab Ascanio exstructa a Tullo Hostilio destructa.

Sepulchrum Anci Marty

ALBA LONGA

Tertius Tulli Hostilii

Aqua Crabra

Aquarium ex monte evolutio

Meatus, quo Lacus se exonerat in rivum Aquæ Crabræ.

Lacus Albanus.

Meatus, quo aquæ se exonerant in Lacum Nemorensem

Lacus Nemorensis

Meatus

Canalis antiquus arte factus quo Lacus exoneratur in Campos Romanos

Villa Pompeji modo Albanum

Theatrum Domitiani

Templum Veneris

Templum Bonæ Deæ

Canalis Subterraneus

Ferentum

Aqua Ferentinæ

Bovillæ

Hospitium quo Clodius obvius est.

Tab. II.

Emissarium Lacûs Albani á Romanis, perfosso monte, apertum, Bello Veienti, prout infundo uestigantibus adhuc apparet.

fovere deprehenſus eſt. Quare nullum omnino, ſi fluviorum inſtar accreſcat decreſcatque, miraculum; cum ſimilis illis natura eumdem ferme introitum exitumque ſortitus fuerit. Incerta quædam templi Veneris veſtigia prope Emiſſarium a Romanis factum nonnulli notarunt; quæ fanum illud Nymphis fortaſſe, ex Holſtenio, ſacrum fuiſſe crediderim.

CAPUT VI.

De Villis, Sepulcris, ceteriſque Veteribus Monumentis in Albano.

ALBANUS Ager, ex quo ab Aſcanio Lavinienſibus agris prælatus eſt, villis prædiiſque tum Veterum Latinorum primo, tum deinde Civium Romanorum in hanc uſque ætatem frequentari ac celebrari numquam ceſſavit. Cæli nimirum clementia ſolique amœnitas & opportunitas id effecit. Quare, antiquorum ædificiorum rudera paſſim in eo deprenduntur, molium quondam magnificentiſſimarum; in iiſque, curioſis ab veſtigatoribus detecti perſæpe ſunt Lapides qui dominos fundi in quo iidem jacebant, diſerte nominabant. Ex his nobis, per denſiſſimas ruinarum tenebras incedentibus, lucis aliquid affulſit; quam ſecuti, ſeriem qualemcumque veterum monumentorum in Agro Albano conteximus; profeſſi tamen aperte, multo plura deſiderari. præter veterum ſcriptorum teſtimonia, quæ ſingula ſuis locis, ut hactenus conſuevimus, huc quoque adducimus. In primis, itaque, villa fuit omnium Albanarum, quas quidem ſciamus, antiquiſſima & magnificentiſſima, Cnei Pompeji Magni villa,

eo

eo loco ubi nunc Albanum oppidum cernimus. Hanc villam *Albanum Pompeji*, vel ſimpliciter etiam *Albanum*, nominari a Cicerone, atque ab Itinerariis Tabulis, nuper *a* animadvertimus. In hac villa, juxta Viam Appiam, Pompeji ejuſdem reliquiæ, a Cornelia uxore procuratæ ex Ægypto, tumulatæ ſunt; *b* Plutarcho teſte. Porro Pompeji ſepulcrum, illud eſſe monumentum credimus quod extra præſens Albanum oppidum in ipſo Appiæ Viæ limite occurrit; ante fores Templi quod *la Madonna della Stella*, nominatur, quinque pyramidibus conſtructum. quod ineptorum vulgus antiquariorum, ſepulcra dixit & ſcripſit fuiſſe Horatiorum & Curiatiorum. Quorum, certiſſime, ſepulcra multis ab hinc milliaribus propius Romam fuere. Cum Livius *c* diſerte fuerit teſtificatus, Horatiorum & Curiatiorum ſepulcra diſtinctis locis quo quiſque ceciderat, exſtructa fuiſſe. adeoque, quinque intervallis diſpoſita; & circa Foſſas Cluilias, quæ quartum inter & quintum ab Urbe lapidem ſitæ erant, Livius idem, occidiſſe Horatios atque Curiatios, docet. Verum hæc non attenderunt, immo fortaſſe nec legerunt umquam antiquarii iſti qui tantum in errorem & ipſi inciderunt, & ceteros male cautos ſimplicioreſque traxerunt. Atque hoc demum antiquis monumentis peſſimum omnium accidit infortunium, ut, poſt tot temporum ac barbarorum injurias, peſſime tandem ab imperitis interpretibus tractarentur. En Livii verba, poſt Tergeminorum certaminis ad Foſſas Cluilias quinto circiter ab Urbe lapide commiſſi narrationem: *Ad ſepulturam inde ſuorum nequaquam paribus animis vertuntur; quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti: ſepulcra exſtant quo quiſque loco cecidit: duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam verſus, ſed diſtantia locis,*

a *Cap. de Albano præſenti Oppido.*

b *In Vita.*

c *Lib. 1.*

cis, ut pugnatum eſt. Campus etiam *Horatiorum* dictus eſt locus ubi duo Horatii fuerant tumulati. De illo Martialis, circa ſextum lapidem conſtituto, ſic: *d*

d *Lib.* 3. *Ep.* 47.

Capena grandi porta qua pluit gutta;
Phrygiæque matris Almo qua lavat ferrum;
Horatiorum qua viret ſacer Campus;
Et qua puſilli fervet Herculis fanum;
Fauſtine, plena Baſſus ibat in rheda.

Ut autem noveris, Horatiorum hic Campus quo peculiariter loco fuerit; habes ex eodem Martiali deſignante ſitum fani Herculis puſilli, quod erat Horatiorum Campo vicinum. Alibi enim, Domitiano adulaturus poeta, ſub Herculis nomine & ſtatua, in eo fano, tamquam novum numen, coli ſe jubenti, poſt Herculis enumerata facinora, Domitianum illi præferens, Alcidemque majorem vocans, ait: *e*

e *Epig.* 102. *L.* 9.

Hæc minor Alcides. major quæ geſſerit, audi.
Sextus ab Albana quem colit arce lapis.

Ex his itaque, patet, Horatiorum & Curiatiorum ſepulcra alio prorſus loco ab eo in quo monumentum eſt quinque pyramidibus ornatum, juxta præſens Albanum oppidum, conſtituta fuiſſe. Neque vero, in erroris defenſionem, quis bene conjectaverit; quamquam duorum Horatiorum triumque Curiatiorum corpora circa Foſſas Cluilias fuiſſent tumulata, ab Albanis nihilominus id monumentum de quo loquimur, excitatum quinque viris illis ſimul, in eorum memoriam, quamvis eorum intus cadavera non conderentur. Quo namque id fundamento aſſerere poterimus? Peto enim; a quibus Albanis id factum? Cum Romam commigrare ſtatim ab illo certamine plerique omnes coacti fuerint; cum eorum urbs diruta ac deſerta. Cur autem Albani victi Horatiorum Genti victrici ſuæ monu-

numentum perenne ſtatuiſſent? vides labare omnia; & corruere incerta atque improbabilia. Id commentum de eo monumento, quod Horatiorum fuerit & Curiatiorum, inde ortum non dubito quod medii ævi quidam imperiti homines, Albam Longam, ubi nunc Albanum oppidum, fuiſſe perperam exiſtimantes, eidem loco celebriora ejus dirutæ urbis monumenta appingere, vel per vim ſummamque injuriam, conati ſint. Hinc etiam ſupra portam recentis Albani oppidi ſcropham triginta cum porcellis, omen Albæ Longæ condendæ, ſtatui, eoſdem curaſſe crediderim. Quam tamen ſententiam, falſiſſimam eſſe, probatiſſimis ex veterum teſtimoniis, manifeſte probavimus. At vero, ut Pompeji credamus id monumentum fuiſſe, multa ſuadent. In primis, locum hunc Pompeji villæ, quæ Albanum Pompeji dicebatur, juxta Viam Appiam, cognovimus ex Cicerone & Plutarcho; *f* in villis autem antiquorum Romanorum ſepulcra fuiſſe conſtituta, ad exitum viarum Conſularium, notiſſimum eſt; & veterum monumentorum moles, quæ adhuc ſuperant, in Appia præſertim, nobis oſtendunt. Porro, monumentum de quo nunc, in ipſo antiquæ Appiæ Viæ limite, juxta Albanum Pompeji cernitur. Denique, ex Plutarcho docemur, Pompeji cineres ex Ægypto ad Corneliam uxorem Romam delatos fuiſſe, & ab hac in Albano ſuo conditos. Quin etiam Pompejorum Gentis idem ſepulcrum fuiſſe monemur ab eodem Plutarcho *g* ajente; Populum Romanum effeciſſe ut Juliæ Cæſaris Dictatoris filiæ cineres, quos in Albano Gentis ſuæ ſepulcro vir ejus Pompejus condere voluerat, in Campum Martium ſolemni funebri pompa deductos ibidem tumularet. Ceterum, Ligorius prodidit, (unde ab illo acceptum,

f *Lib. 7. Ep. 5. ad Attic. & pro Rabir. & pro Milon. Plutarch. in Pompejo.*

g *ibid.*

ne-

neſcias) hoc monumentum ab Hadriano Cæſare, qui villam in Albano pariter habuit, conſtructum in memoriam Magni Pompeji fuiſſe; ſuperque quadratum ſolium Albani lapidis rotundas quinque pyramides erexiſſe, ob quinque præclaras victorias a Pompejo ante Conſulatum relatas. Ex his quinque pyramidibus duæ adhuc fere integræ; ceteræ corruptæ, non tamen ſine veſtigiis, apparent.

Altera in Albano celeberrima villa fuit Domitiani Imperatoris; apud quam juvenilem ætatem fere tranſegit; dum tædio Urbis, longique Veſpaſiani patris & Titi fratris imperii, ſolatia ſibi unde unde quæreret. Hujus meminere Dion, Suetonius, Statius, Juvenalis, & Martialis ſæpe. Fuiſſe hanc accepimus magnificentiſſimam, vaſtiſſimumque ſpatium ædificiis ac deliciis longe lateque occupaſſe. Supra Lacum fuit Albanum, ſub Monte Albano & in ejus fere uſque cacumen extenſa; prætoriis, amphitheatro, thermis quaquaverſum adjunctis ad Marini oppidi ſitum pertingens. Et Dion quidem, *h Domitianus*, inquit, *patrem timens, apud Albanum Montem plurimum agebat; ubi vero imperium adeptus fuit, tunc Minervam præcipue ex omnibus diis coluit. atque eam ob cauſſam Quinquatria magnifice celebravit; in quibus certamina Poetarum, Oratorum, & Gladiatorum quotannis fere exhibebat in Albano. nam eum locum ſub Albano Monte, unde is locus nomen habet, tamquam arcem aliquam elegerat.* Amphitheatri veſtigia *i* & Lipſius, & poſt illum Kircherius noſter detexiſſe memorarunt. in eo Acilius Glabrio Senator & Conſul cum leone pugnavit. De illo Dion: *k Glabrionem Acilium Conſulem cum in Albanum Domitianus vocaſſet, ad Juvenalia, immanemque leonem expugnare coegiſſet; Glabrio non ſolum a leone læſus non eſt; ſed etiam illum egregie confecit.* Quia tamen Do-

h *ap. Xiphil. in Domitiano.*

i *vid. Fabret. fol. 543. Lipſ. de Amphitheatr. Kirch. de Alban. in Lat. Vet. & Nov.*

k *ap. Xiphil. in Domitiano.*

mitianus Acilium interfectum volebat; coloratis quæsitis culpis juvenem de medio sustulit. De illo, cum patre simul, ad Rhombi Albani consultationem vocato, de qua infra, sic Juvenalis: *l*

l *Satyr.* 4.

Proximus ejusdem properabat Acilius ævi
Cum juvene indigno quem mors tam sæva maneret,
Et domini gladiis tam festinata.

Et mox:

Profuit ergo nihil misero quod cominus ursos
Figebat Numidas Albana nudus arena
Venator.

Eodem in Amphitheatro Domitianus ipse, Suetonio referente, feras quamplurimas figere, jaculandique artis peritiæ documenta eximia solitus fuit exhibere. Verba Tranquilli: *m Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectavere plerique: atque etiam ex industria ita quarumdam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret. Nonnumquam in pueri procul stantis præbentisque pro scopulo dispansam dextræ manus palmam sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent.* Juvenalia quidem ludi fuere scenici a Nerone primum instituti, cum barbam deposuisset, agitarique per domos & in hortis consuevere. Domitianum autem & Juvenalia & Quinquatria in Minervæ honorem celebrasse in Albano, ex Dione & Xiphilino memoravimus. De quibus ita Suetonius: *n Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui Collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur; redderentque eximias venationes & scenicos ludos, superque Oratorum ac Poetarum certamina.* Quamobrem a pueris ejus ævi Minerva, per festum Quinquatruum, coli & rogari impensius solebat, ut sibi in dicendi arte, ac poesi præ-

m *In Domitiano.*

n *ibidem.*

sto

ſto eſſet; quo in Albanis Domitiani certaminibus, Oratorum & Poetarum, victores evaderent. De his Juvenalis: o

o *Sat.* 10.

Eloquium ac famam Demoſthenis aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat
Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

Collegio autem ſacerdotum Minervæ in Albano inſtituto per Domitianum alludens idem poeta, molles atque effeminatos ſui ſæculi homines carpens, inquit: p

p *Sat.* 2.

-- -- -- -- -- accipient te
Paullatim qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus, & toto poſuere monilia collo;
Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ
Et magno cratere deam.

pergitque illos carpere, ac infames eorumdem mores deſcribere; quod in cultum ac vitia feminarum penitus fere transformarentur. Non ita tamen Martialis; benedicendo, palpando, adulando, & Principis gratiam captando totus intentus. Sed Poetarum præcipue certamina, ac præmia victoribus a Domitiano in hac Albana ſua villa propoſita, ad ſidera extollens, deorum certaminibus & comparaſſe & prætuliſſe non erubuit. q Nam alibi quidem cecinit:

q *Lib.* 4. *Ep.* 1.

Cæſaris alma dies, & luce ſacratior illa,
Conſcia Dictæum qua tulit Ida Jovem;
Longa, precor, Pylioque veni numeroſior ævo,
Semper & hoc vultu, vel meliore, nite.
Hic colat Albano Tritonida multus in auro,
Perque manus tantas plurima quercus eat.
Hic colat ingenti redeuntia ſæcula luſtro,
Et quæ Romuleus ſacra Terentus habet. &c.

Alibi vero, ſitum Albanæ hujus villæ deſcribens, ait: r

r *Ep.* 1. *L.* 5.

Hoc tibi, Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,

Cæſar, & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin;
Seu tua veridicæ diſcunt reſponſa ſorores,
Plana ſuburbani qua cubat unda freti;
Seu placet Æneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis;
Mittimus, &c.

De coronis vero non ex quercu tantum, aut oliva, ſed aureis, quas Domitianus Poetis victoribus hic dabat, hæc, inter alia, ad Carum Poetam coronatum ſcribens: *ſ*

ſ *Lib.* 9. *Ep.* 23. & 24.

O cui virgineo flaveſcere contigit auro,
Dic ubi Palladium ſit tibi, Care, decus.
Aſpicis, en, domini fulgentes marmore vultus:
Venit ad has ultro noſtra corona comas.
Albanæ livere poteſt pia quercus olivæ,
Cinxerit invictum quod prior illa caput.

Similia in ſequenti Carmine repetit, innuitque, coronas haſce aureas quercuum frondes fuiſſe imitatas. De cœnis denique Domitianis in Albano: *t*

t *Ep.* 48. *L.* 12.

Non Albana mihi ſit comeſſatio tanti,
Nec Capitolinæ, Pontificumque dapes.

Porro per hæc Poetarum certamina innotuit Martialis Domitiano, perque ſuorum Epigrammaton blanditias & adulationes ab eo multa & petivit & accepit; quemadmodum ex ejus libellis plane conſtat. Præcipue tamen domum Romæ, & rus fortaſſe in Albano. Utrumque memorat in Carmine quod adjicimus, fontem aquæ Martiæ in ſuas ædes derivari expoſcens: *u*

u *Ep.* 18. *L.* 9.

Eſt mihi, ſitque (precor) longum te præſide, Cæſar,
Rus minimum: parvi ſunt & in Urbe lares.
Sed de valle brevi, quas det ſitientibus hortis,
Curva laboratas antlia tollit aquas.
Sicca domus queritur nullo ſe rore foveri,

Cum

Cum mihi vicino Martia fonte ſonet.
Quam dederis noſtris, Auguſte, penatibus undam,
Caſtalis hæc nobis, aut Jovis imber erit.

Hoc petiit Martialis eo forte tempore, cum æqualem ſuum P. Papinium Statium Neapolitanum Poetam, in certamine Albano victorem, a Domitiano aurea corona donatum & rure irriguo vidit, in Agro Albano. De quo Statius ipſe pluribus. nam & in Carmine ad Claudiam conjugem: *x*

x *Silv. L. 3. C. 5.*

- - - ter me vidiſti Albana ferentem
Dona, comes, ſanctoque indutum Cæſaris auro,
Viſceribus amplexa tuis, ſertiſque dediſti
Oſcula anhela meis.

Et Domitiani epulum commendans, cui fuerat adhibitus: *y*

y *Silv. Lib. 4. Carm. 2.*

Qua mihi felices epulas, menſæque dediſti
Sacra tuæ, talis longo poſt tempore venit
Lux mihi, Trojanæ qualis ſub collibus Albæ
Cum modo Germanas acies, modo Daca ſonantem
Prælia, Palladio tua me manus induit auro.

De rure autem Albano ab eodem Cæſare ſibi donato: *z*

z *Silv. L. 3. Carm. 1.*

Dardaniæ quam vis ſub collibus Albæ
Rus proprium, magnique Ducis mihi munere currens
Unda, domi curas mulcere, æſtuſque levare
Sufficerent.

De ſepulcro etiam patris in Albano hocce ſuo prædio conſtructo: *a*

a *Silvar. L. 3. Carm. 1.*

Vix. hæc in munera ſolvo
Primum animum, tacitiſque ſitum depellere curis
Nunc etiam labente manu, nunc lumine ſicco
Ordior acclivis tumulo quo molle quieſcis
Jugera noſtra tenens; ubi poſt Æneia fata,
Solatus, Latiis ingeſſit montibus Albam

Aſca-

Aſcanius, Phrygio dum pingues ſanguine campos
Odit, & infauſtum regnum dotale novercæ.
Hic ego te (nam Sicanii non mitius halat
Aura croci: dites nec ſic tibi rara Sabæi
Cinnama, odoratas nec Arabs decerpit ariſtas)
Inſerui cum laude loci.

Innuens autem, ſe eodem Albano rure, atque etiam tumulo matrem pariter condidiſſe, ait: *b*

b *Ibidem.*

Nec ſolum larga memet pietate fovebas;
Talis & in thalamos: una tibi cognita tæda
Connubia, unus amor: certe ſejungere matrem
Jam gelidis nequeo buſtis. te ſentit, habetque,
Te videt: & tumulos ortuque obituque ſalutat.

Eodem quoque gentis ſuæ ſepulcro condidiſſe filium crediderim, ſuper quo *Epicedion*, ultimum Silvarum Carmen, Papinius idem compoſuit. Infra vero, eodem Carmine, ad patrem, coronatum ſe a Domitiano, rurſus ſic memoravit:

qualem te Dardanus Albæ
Vix cepiſſet ager, ſi per me ſerta tuliſſes
Cæſarea donata manu. quod ſubdere robur
Illa dies, quantum potuit demſiſſe ſenectæ?

Ob hæc munera totus fuit Statius in putidiſſimis adulationibus Domitiani. Quid enim non audet in Carmine de Equo, quid non in gratiarum actione pro cœna? Verum hæc alias. Quamquam autem Juvenalis Domitiano non tantum non adblandiri, verum illum modis omnibus inſectari conſueverit; ejus tamen liberalitatem in Poetas, vi veritatis compulſus, diffiteri non potuit. quin unicum illum Poetarum ea ætate perfugium dixit. ſic enim inquit: *c*

c *Sat. 7.*

Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantum:
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit; cum jam celebres notique Poetæ

Bal-

Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent.

Et mox ſubdit:

Nemo tamen ſtudiis indignum ferre laborem
Cogetur poſthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.
Hoc agite, o juvenes. circumſpicit & ſtimulat vos,
Materiamque ſibi ducis indulgentia quærit.

Quamquam nonnulli interpretes hæc de Trajano ejuſque in Poetas liberalitate ſint interpretati. Ceterum, in hoc Albano ſuo Domitianum non ludicra modo, ſed & ſeria agentem, & Reipublicæ proſpicientem deſcripſit Statius; inde enim clara militiæ munera Criſpino egregiæ indolis & ſtirpis juveni (quem tamen Juvenalis ut vitioſiſſimum ſatyricis morſibus dilaceravit) miſiſſe, ait, Domitianum per nuntios: *d*

d *Silv. lib. 5. Carm. 2.*

Sed quis ab excelſis Trojanæ collibus Albæ,
Unde ſuæ juxta proſpectat mœnia Romæ
Proximus ille deus, fama velocior intrat
Nuntius, atque tuos implet, Criſpine, Penates?
- - - en ingens reſerat tibi limen honorum
Cæſar, & Auſonii committit munera ferri.
Vade, puer, tantiſque enixus ſuffice donis.
Felix qui magno jam nunc ſub præſide juras,
Cuique ſacer primum tradit Germanicus enſem!

Quod Senatorum concilia & procerum in Albano Domitianus convocare & cogere ſolitus eſſet, tradidit & Juvenalis; dum illos ſemel ad eximiæ magnitudinis rhombi deliberationem, quonam ſcilicet pacto coquendus eſſet, per præconem congregatos, feſtiviſſime ac lepidiſſime deſcripſit. Ibi de Piſcatore Picente rhombum Anconæ captum portante: *e*

e *Satyr. 4.*

Stridebat deformis hiems, prædamque recentem
Servabat; tamen hic properat, velut urgeat Auſter:

Ut-

Utque lacus ſuperant; ubi, quamquam diruta, ſervat
Ignem Trojanum, & Veſtam colit Alba minorem;
Obſtitit intranti miratrix turba parumper.
Ut ceſſit; facili patuerunt cardine valvæ.
Excluſi exſpectant admiſſa opſonia patres.
Itur ad Atridem.

& paulo poſt:

Sed deerat piſci patinæ menſura; vocantur
Ergo in conſilium proceres.

&, aliquibus interjectis:

primus, clamante Liburno,
CURRITE; JAM SEDIT; *rapta properabat abolla*
Pegaſus, attonitæ poſitus modo villicus urbi.

At, poſtquam varias ludicra ſuper deliberatione procerum ſententias protulit, ita ſermonem concluſit:

Surgitur; & miſſo proceres exire jubentur
Concilio, quos Albanam dux magnus in arcem
Traxerat attonitos, & feſtinare coactos;
Tamquam de Cattis aliquid, torviſque Sicambris
Dicturus; tamquam diverſis partibus orbis
Anxia præcipiti veniſſet epiſtola penna.

Quibus extremis verſibus diſerte ſignificat, Domitianum, rebus in arduis, & difficilibus imperii negotiis, qualia præcipue hoſtium motus, in Albanum patres ad conſultandum convocare ſolitum fuiſſe. Itaque ſic Domitianus Albanum ſuum, ut Tiberius Capreas, dilexit & frequentavit.

Proxima Albano Domitiani fuiſſe Caſtra Prætoria, accepimus. Eorum reliquias cerni adhuc, juxta recens Albanum oppidum, antiquarii putant, quadratis muris, quæ adhuc ſtativa militum indicent. Hæc, ſub imperio Cæſarum diu manſere. Ante id tempus ſtativa pariter habuiſſe milites apud Albæ veteris ruinas prope Albanum Montem perhibentur,

tur, ſeu potius Albanum ipſum Pompeji, inſtar oppidi cujuſdam jam munitum occupaſſe aliquando legiones aliquot memorantur. De illis apud Alexandrum Donatum noſtrum, in egregio Romæ Veteris ac Recentis opere, plura ſunt auctorum teſtimonia. *f* Namque Civili bello Antonium inter & Octavium exorto legiones duæ, quæ hactenus ab Antonio ſteterant, defecerunt; ſeſeque apud Albam receperunt. De quibus Appianus, *g Ad portam*, inquit, *recta properavit* (Antonius) *& inde porro Albam, verbis, ut putabat, milites reducturus ad officium; ſed cum peteretur telis e mœnibus, retroceſſit. Octavius vero, omnibus Albam convenire juſſis, rem ſignificavit Senatui.* Harum legionum unam Martiam fuiſſe, ex Ciceronе *h* comperimus, aliam Quartam. De Martia enim, poſtquam illam ab Antonio receſſiſſe narravit, hæc ſubdit: *Atque ea legio conſedit Albæ. quam potuit urbem eligere aut opportuniorem ad res gerendas, aut fideliorem, aut fortiorum virorum, aut amicorum Populo Romano civium?* De legione autem Quarta ſic ſequitur: *Hujuſce legionis virtutem imitata Quarta legio.* Quod audis in Appiani verbis, *ex mœnibus* milites harum legionum tela in Antonium miſiſſe, quodque Cicero Albam urbem nominat, ubi legiones eædem conſederant; vel oppidum Albanum juxta Pompeji villam, vel ipſius Albæ Longæ dirutæ ſedem, juxta ea quæ hujus Libri initio diximus, omnino accipies. Appianus etiam Libro Civilium Bellorum quinto narrat, duas fuiſſe apud Albam Lucii Antonii, fratris Triumviri, legiones, inter quas graviſſima exorta diſcordia, pulſis ducibus, defectio jam ſpectabatur. Octavianus autem & Lucius, alter alterum præoccupare feſtinabant, ut ſibi quiſque eas legiones adjungeret. Lucius tamen prior in caſtra

f *Lib.* 3. *C.* 12.

g *De Bell. Civ. L.* 3.

h *Philip.* 3.

venit apud Albanum; qui tum præsenti pecunia, tum vero majorum præmiorum in proximo pollicitationibus milites in fide retinuit. Dum autem Firmius novo conscripto exercitu ad Lucium Albam transiret, ab Octaviano occupatus atque aggressus, nocturno itinere, via deflexit; seseque Setiam, urbem Lucianarum partium, recepit. Neque Octavianus, insidias veritus, eum ulterius persequi, e re futurum judicavit. Dumque hic postea Setiam obsideret; Lucius cum Albanis legionibus Romam, victoris ac triumphantis in modum, ingressus est. Ceterum, sub Cæsaribus, ad longum quoque tempus, Castra Prætoria militum Romanorum in Albano mansisse, de scriptoribus eorumdem Cæsarum gestorum, cognoscimus *h* apud eumdem Donatum. Namque Herodianus, *Visum est*, inquit, *militibus iis quorum ad urbem Romam, sub Monte Albano, castra erant, atque in his liberi eorum conjugesque relictæ, neci dedere Maximinum*. Et in ipsius Maximini vita Julius Capitolinus: *Timentes milites quorum affectus in Albano Monte erant*. Xiphilinus in Heliogabalo: *Quasi milites quosdam ex iis coegisset qui stipendia faciebant in Albano*. Spartianus denique in Antonino Caracalla: *Pars militum apud Albam, Getam occisum, ægerrime accepit: clausisque portis diu Imperator non admissus, nisi delinitis animis; non solum querelis de Geta, & criminationibus editis; sed enormitate stipendii militibus, ut solet, placatis; atque inde Romam rediit*. Hic quoque portas castrorum intellige. muniebantur enim castra, fortissimarum instar urbium, mœnibus, portis & propugnaculis. *i* De Prætorianis militibus multorum Prætorianorum Castrorum plura apud Fabrettum exstant monumenta. Profecto a negotiatoribus & populis, ad hæc Castra Albana annonam, reseque alias hu-

h *Rom. Vet. & Rec. Lib. 3. c. 12.*

i *Vide Fabret. Inscript. c. 3. fol. 141. & a fol. 127. ad fol. 140.*

humanæ vitæ neceſſarias, atque militiæ, ferendo, confluentibus, multam Albano oppido incolarum frequentiam acceſſiſſe, non dubitamus.

Intra hæc Prætoria Caſtra carcerem incluſum fuiſſe tæterrimum, qui multo ante illa ibidem fuerat effoſſus, *Albanum* pariter appellatum, ex Diodoro Siculo, *k* ſunt qui teſtantur. Cujus hic horror; profunde ſub terra effoſſus erat ſpecus inſtar cœnaculi decem lectorum capacis; multique capite damnati eo detrudebantur, ut ita in anguſto concluſi, in unum purgamentis omnibus commixtis, caligine ac pædore vehementiſſime opprimerentur. Cum enim tam arctus eſſet locus; multitudo reorum maxima eodem arctiſſime claudebatur; qui præ fame, confecto ipſo cibo, rurſum veſci adigebantur; belluinamque naturam quodammodo induere. Huc Perſeus rex Macedonum ab Romanis prœlio victus & captus per unum ex Prætoribus Urbanis detruſus fuit, una cum filiis; ſeptemque diebus detentus miſerrime, donec ab Senatu, quid illi perpetiendum foret, decerneretur. Ductus eſt deinde in triumphum a Paullo Æmilio, a quo fuerat prœlio devictus. Hic itaque carcer a Prætorianis Caſtrorum Albanorum militibus cuſtodiebatur. Iidem Romæ in Cœlio monte manſiones habuere; ſiquidem a P. Victore, inter alia Cœlii montis ædificia, etiam *Manſiones Albanorum* recenſentur. Quamvis autem optime noverim, & ipſe hoc eodem Libro memoraverim, Alba Longa diruta, civibus ejus Romam traductis a Tullo Hoſtilio locum ad habitandum in Cœlio monte potiſſimum fuiſſe aſſignatum; cum nihilominus P. Victor de urbis Romæ ædificiis multa jam ſæcula Hoſtilio poſterioribus locutus fuerit; interque ea *Manſiones Albanorum* in Cœlio monte nominaverit; de Albanis

k *Lib.* 31.

militibus, h. e. ad Caſtra Prætoria ſub Albano Monte morantibus, intelligendum, melius judico cum Donato noſtro. Qui, quod frequenter Romam venirent, in Cœlio proprias, quæ *Albanorum* dicerentur, *Manſiones* habuerint. quemadmodum in Tranſtiberina regione, manſiones fuiſſe Ravennatium, ſcimus; militum ſcilicet Claſſiariorum, qui Romanorum Claſſem, Ravennæ in portu morantem inſtruebant. Ex quibus qui Reipublicæ urbiſque Romanæ bono Romam veniſſent, ſtativa propria, quæ *Caſtra Vetera*, ſive *Veteranorum*, ut eſt apud P. Victorem in Tranſtiberinæ regionis recenſione, dicebantur, habebant. In quibus etiam Ravennates emeriti Claſſiarii ſenectutis annos degebant. Ad hæc Caſtra ſpectaſſe credimus Lapides, ubi militum Albanorum mentio, a Ligorio recenſitos; in quibus eadem Caſtra, & *Statio* & *Manſio* militum appellantur, in hanc ſententiam:

M. COELIVS. M. F. FAB
CVRIANVS
PRAEF. FABRVM
PRAEF. PRAETOR. CANDIDATVS
IMP. CAES. VESP. AVG.
PRAEF. STATIONIS. ALBANAE
FLAMEN. QVINQ
FECIT. SIBI. ET. SVIS. POSTERIS

Alter ſic habet: *l*

l Ligor. Libr. A. L. ubi ſupr.

Q. CVRIVS. Q. F. FAB. SVEFENAS
PRAEF. PRAETOR. STATIONIS. ALBANAE
PRAEF. FABRVM
PATRONVS. CASTRI. MOENENSIVM
FLAMEN. QVINQVENNALIS

Unius militum Albanorum Veteranorum ex Prætorio meminit apud Gruterum Lapis: *m*

m p. 524.

ATV-

ATVCIO. ALBANO. VETERANO
EX. PRAETORIO. ET AELIAE SABINAE VX. OPT
ET ATVCIAE AVENTINAE F. A. XX III
EXVPERIVS MILES LEGIONIS SEII⊖. XX III

Ceterum, Prætoria prope Caſtra, in Albano, juxta Viam Appiam, Flavidiæ Gentis monumenta, prædium, puta, vel villam fuiſſe, ſepulcralis Lapis ibi repertus teſtatur, apud Fabrettum. *n* a quo tamen haud fideliſſime exceptum deprendi nuper illum ipſe præſens Albani relegens apud Carmelitas in Clauſtris muro inſertum ſic:

n *Inſcript. C. 9. p. 194.*

D. M.
AVR. SALVTARIS QVI
VIX. ANN. XVI. M. X. APRO
NIVS. FELIX. FLAVIA. PRIMA
FILIO B. M. F

Fabrettus enim omiſit: QVI. pro FLAVIA ſcripſit FLAVIDIA. & ultimam notam F prætermiſit. Juxta Viam Appiam pariter, intra ſpatium quod Ager Albanus circa occupabat, fuere antiquitus villæ familiarum Romanarum Cæciliæ, Sabellicæ, Hirtiæ, Æmiliæ, Cinciæ, Juliæ, Coiliæ, ſive Cœliæ, Caſperiæ, Corneliæ, Liciniæ, Trebelliæ, Curioniæ, Popilliæ, Clodiæ, ſeu Clodianæ, Titilliæ, ſeu Titillianæ. quarum omnium exeſa monumenta, intra idem ſpatium, ſe reperiſſe, Ligorius memoriæ prodidit. *o* De villa quidem Publii Clodii Cicero meminit in Miloniana, cæſum illum referens a Milonis ſervis ſero revertentem de villa ſua Albana. Clodianam hanc villam eo loco fundatam quidam conjectantur, ubi nunc villa & prædium

o *In Lib. A. L. verbo*, Alba

dium Domus Tyrocinii Romani Soc. Jesu apud Castrum Gandulphi. Siquidem ibi insanæ illæ substructiones e vivo saxo adhuc apparere videntur de quibus Cicero Clodium arguit in Miloniana. Ibi autem fragmenta sigillorum ex doliari opere hæc reperta. ex quibus tamen infirmari conjectura de Clodianis substructionibus nonnihil posse videtur.

OPVS . . . . . EX PR
STA MAXIMI FF.

In sigillo medio Cervus erat impressus.

in alio autem: OP DOL
EX PR AVGG NN
FIG LVCONIAN MI-
LI.....LIS

& in tertio: OP DOL
EX.... GG NN FIG
SVPERIOR.....NI
. . . . . VFINI.

item: TE . . . . . COCONI
FIG ASINI POLL.

rursus: O. D. EX. S. C.

in medio caput Minervæ.

Denique: PRAE...
AV...OPVS DOLIAR
A CALPETAN. VENNA

in medio Palma. sic recensuit Lupius, quamvis corrigendum videtur VERNA. sed forte in laterculo

ipso

ipso error irrepserit. Ultimum hunc Laterculum e ruderibus templi Jovis Latialis in jugo Montis Albani erutum memorant. At in villa Barberina apud Castrum Gandulphi sic priscus Lapis. quem nonnihil ab amici recensione diversum nuper præsens ipse relegi, ac ita descripsi:

M. ANTISTI. M. F. FAB
M. ANTISTI. M. F. FAB
SATVRNINI
PRECILIA. Q. F. TERTIA. FECIT
SIBI. VIVO. FILIO. LIBERTIS
LIBERTABVS SVEIS.

Et in vinea Collegii Romani, quæ in Albano est, quem & ipse coram recensui:

D. M
FLA' RHODI'NE
FEC' EV.....
CHE' MATER
FL' MELITINE
AVIA' VIX' ANN, I
MENS' II D' XI'

Quæ omnia diligentissime P. Antonius Lupius Soc. Jesu recensuit. Eodem in agro fuere frequentes tumuli atque luci, quos Tullius idem *Tumulos* & *Lucos Albanos* vocat, cum sacellis & ædiculis pluribus diis dedicatis; de quibus infra. Nunc Lapides complures Albani sunt recensendi. & in urna quidem marmorea elegantissima, quæ Albani in æde Divi Pauli prostabat, hæc legebantur: *p*

p *Gruter. p.* 397.

L. COR-

L. CORNELIVS. A. F. PAL
PVPILLVS.
PRAEFECTVS FABR
FLAMEN QVINQVEN
PATRONVS CASTRI MOENĒSIVM
EX TESTAMENTO
C. IVLIVS SP. F. PAL. CARVS
L. CORNELIVS L. F. FAB. ALBANVS
L. CORNELIVS ATHICTVS
L. CORNELIVS EVTYCHVS
FECERVNT ET SIBI ET SVIS

Quo in Lapide recenſendo Ligorius pro PAL legit conſtanter FAB. quod mihi quoque veriſimilius fit: cum tertio loco FAB. a Grutero quoque ſit lectum. Albani ſcilicet plurimi ex Tribu *Fabia* fuerunt; quæ a *Fabio* oppido in Monte Albano antiquiſſimam, valde probabiliter originem duxerat. Alias quoque ejuſdem Lapidis variantes lectiones apud ipſum Gruterum videre erit. Porro ipſe Lapis lauro utrimque ornatur, & duabus aviculis. ſubtus autem ad lauri truncum aſcendit lacerta; quam deſuper tertia quædam avicula deterrere conatur. Caſperiæ vero Gentis monumentum in Albano tale erat: *q*

q Gruter. pag. 660.

DIS MANIB
L. CASPERI. L. FIL. PAL. FAVNI
L. CASPERIVS ABASCANTVS
ET CASPERIA AELIANTE
PARENTES FILIO PIISSIMO
ITEM ABASCANTVS
L. CASPERI CANDIDI
AELIANI. F. L. PALL. EXTRICATO
ET CASPERIAE AELIAE FIL. EIVS
SVAE CONIVGI KARISSIMAE ET
L. CASPERIO L. F. PAL. FAB. LATINO
F. SANCTISSIMO ET PIENTISSIMO
VIXIT. AN. XIIX M. IIII. DI. IX. ET
CASPERIAE. ZOTICHE. L. ET. NVTRICI. PIAE
ET PROSDECTAE VERNAE

Proſtabat Lapis pulchris diſtinctus literis in Templo Sanctæ Mariæ Rotundæ Albani; quod olim ædem Veſtæ fuiſſe quidam male oppido memorant. At vero ibidem in majori templo legebatur Lapis alius, ſic: *r*

r *Gruter. p.* 1113.

EPIO. AVG. LIB. TABVLAR
RAT. HEREDIT. FECIT
FLAVIA. CALISTO
CONIVGI. DVLCISSIMO
BENEMERENTI. ET. SIBI
POSTERISQVE. EORVM

Loco autem, juxta Sabellianum Caſtrum jamdiu dirutum, quod hodieque nomen retinet *Caſtel Savello*, Sabellæ Gentis quondam Romæ nobiliſſimæ, fuiſſe antiquis temporibus rus cum villa & ædicula Baccho ſacra Caii Perpernii, ſignificat Lapis *ſ* apud Ligorium. Quamvis aliquibus ſuppoſititius is videatur, & a Ligorio confictus, eo quod male Conſulum quos refert, nomina producat. habet enim: C. RVBELLIO GEMINO & C. FVSIO GEMINO COSS. pro *C. Fufio Gemino Coſ. L. Rubellio Gemino*, ut eſt in Lapide Muſei nunc Capitolini, pridem Card. Alex. Albani. ſed errorem in legendo potius Ligorii credam, quam inhoneſtum ejus in fingendo Lapide mendacium:

ſ *v.* Perperniano.

LIBERO. PATRI. PERPERNIANO
C. PERPERNIVS C. F. NAVTIANVS V. C.
PRAEF. VRB. CVRATOR. VIARVM. ET
PVBLIC. AEDIFIC. ET CVRATOR
AGR. REST. D. D. III. NON. APRIL
C. RVBELLIO. GEMINO. ET
C. FVSIO GEMINO COSS
LOCV. TERMIN. A. TIBER. CLAVD
NERONE. AVGVSTO. PRO EMPTION
PERPERN. - - - - - - - - - - - - - - - - -

Notandum hic obiter; Duobus hiſce Geminis Conſulibus quos Lapis hic nominat, a pleriſque Temporum Supputatoribus & Calculatoribus, Reparatoris Noſtri Sanctiſſimi Dei Hominis Jeſu Chriſti mortem contigiſſe, probabiliter admodum exiſtimari. In Albano pariter, prope Viam Appiam, Lapis fuit terminalis ita inſcriptus: *t*

t *Ligor. v.* Caſcelliano.

CASCELLIANVS. FVNDVS
LATER. PRIVAT. VIAE
PVBL. TERM. PED. CCCCLV.
A. CASCELLIVS. A. F. AEDIL. CVR

Num hic fuerit Caſcellius Aulus de quo in Arte Horatius?

- - - - - Conſultus juris, & actor
Cauſſarum mediocris, abeſt virtute diſerti
Meſſalæ; neſcit quantum Caſcellius Aulus;
Sed tamen in pretio eſt.

Et in Albani Montis radicibus, Appiam verſus, Vatinia rura fuiſſe, Veneris ſub cura, ſtatua deæ ejuſdem ibi detecta *u* juxta quam Dedicatio, innuiſſe videtur:

u *Ligor. v.* Vatiniano.

VALLONIAE VATINIANAE
SAC.
C. VATINIVS. C. F. PAL. ALBINIANVS
PRAEFECTVS
PRAETORI

Quod Venus dicta fuerit *Vallonia*; hoc quidem novum, & perrarum videtur; quod tamen *Valloniam* deam Romani venerarentur, quæ nempe Vallibus præeſſe, quemadmodum *Collatina* Collibus, credebatur, apud Divum Auguſtinum, in Libris de Civitate, docti ſumus. Lucium quoque Munatium Plan-

Plancum rus in Albano habuiſſe, de fragmento Lapidis novimus. is in Albano prope Appiam detectus habebat:

L. MVNATIVS PLANCVS. L. F
CONSVL. ĪĪ

Exſtant ad hunc plures Ciceronis Epiſtolæ. de illius altero Conſulatu meminit etiam Horatius. Eſtque ejus titulorum ſuperſtes adhuc celeberrimum monumentum apud Cajetam ab Antiquariis plurimis recenſitum, ac, inter primos fortaſſis, *x* ab Antonio Auguſtino, horum ſtudiorum facile anteſignano.

x *in fine Dialogor.*

Fuiſſe præterea in Agro Albano prædia, rura, cum villis & ſepulcris aliarum gentium, ex fragmentis Lapidum in eo repertis, notavit Ligorius. ſcilicet: *y*

y *v.* Canidiano.

Canidianum, Canidiæ familiæ. Ex hac familia quidam Canidium Conſulem paucarum horarum, in quem Ciceronis joci celebres, exiſtimaverunt; falſo tamen; cum ille non Canidius, ſed Caninius Revilius fuerit. Num ex hac gente celebris Saga Canidia, de qua Horatius multa?

Carbonianum C. Carbonis Oratoris ex gente Papiria, quæ plures etiam habuiſſe Oratores perhibetur a Tullio; *z* unde pariter Conſulares viri nonnulli prodiere.

z *in Brut.*

Tiberianum; quod Imperator Tiberius cum Tuſculano aliquando frequentavit, ſi Dioni fides. *a*

a *in Tiber. vel Lib.* 58.

Julianum C. Julii Thali Liberti & Medici Ocularii. *b* Popillianum M. Popillii Fuffiliani, cujus monumentum ſive Dedicationem Junoni factam infra dabimus. Pontianum M. Pontii Celſi Urbis Præfecti, juxta Viam Appiam. *c*

b *Ligor. v.* Taluſiano.

c *v.* Pontiano.

Quinti Aurelii; de quo Plutarchus in Sylla narrat, quod, cum Lucius Sylla Felix Dictator perpetuus longiſſimam proſcriptorum a ſe Tabulam in foro publice legendam propoſuiſſet, deſcendit & Q. Aurelius vir nobilis ac prædives, nulliuſque, ut ſibi quidem videbatur, culpæ reus, aut conſcius, ut proſcriptorum nomina legeret: cumque, inter alia, ſuum quoque, ab inexſpectato, legiſſet nomen, *Heu me miſerum*, exclamavit, *Fundus Albanus mihi necem procurat!* Syllæ avaritiam diſerte notans, qui cupidine Aureliani Albani optimi fundi adipiſcendi, dominum ejus Q. Aurelium inſontem proſcripſiſſet. Lucii quoque Albutii docti viri & ſcriptoris Albanum fundum memorat Varro libro de Re Ruſtica tertio, capite ſecundo. ait enim: *L. Albutius, homo, ut ſcitis, apprime doctus, cujus Lucilliano charactere ſunt libelli, dicebat, in Albano fundum ſuum paſtionibus ſemper vinci a villa: agrum enim minus dena millia reddere, villam plus vicena. Idem ſecundum mare quo loco vellet, ſi paraſſet villam, ſe ſupra centum millia e villa recepturum.*

Dubitare quis poſſet, num Mæcenas villam habuerit in Albano. quod innuere quodammodo viſus eſt Horatius in Epiſtola ad ipſum, quæ eſt libri primi ſeptima, his verſibus:

Quod ſi bruma nives Albanis illinet agris;
Ad mare deſcendet Vates tuus.

Sed nihil certi ex his erui poteſt. cum tantummodo ibi Horatius cauſſas moræ ſuæ in Urbe exponat. & *agros Albanos* pro quibuſvis Urbi proximis poſuiſſe videatur.

Marianum vero rus circa locum Marini oppidi in Agro Albano fuiſſe, nomen ipſum multis videtur ſatis innuere. Certe juxta illud exſtitiſſe fundum Terentianum Publii Terentii Afri, Comœdiarum ſcri-

pto-

ptoris inter Latinos facile principis, ſpatio viginti jugerum, juxta Viam Appiam, *d* Lilius Giraldus memoravit. Metellianum quoque Metellorum, & Hirtianum A. Hirtii Conſulis, ex vetuſtorum Lapidum fragmentis a ſe erutis, Ligorius recenſuit. *e* In his, aliiſque prædiis quamplurimis Agri Albani vinum Albanum maxime celebratum producebatur. De illo ſcripſit Athenæus, aitque, *f* Albani vini duas fuiſſe ſpecies; alterum enim fuit ſubdulce; acerbum ſive auſterum alterum. Utrique ſuus ab anno decimoquinto vigor. Et iterum infra: *Ex Italicis ſuaviſſima & gratiſſima vina ſunt Falernum & Albanum. Horum quod diutinum inveteravit, quia medicatum ſit perquam celeriter, capitis dolorem ac gravitatem excitat.* *g* Plinius vero non ſemel Albanum vinum commendavit. Nam alibi, ex Taurominitanis Siciliæ collibus in Albanum translatas uvas optimum vinum, ait, produxiſſe: *Eugeniam Taurominitani colles cum generoſitatis cognomine miſere Albano tantum Agro; quoniam translata ſtatim mutatur. Eugenia* enim uva, generoſam uvam, *& bonæ originis*, ſignificat. Alibi autem Plinius: *h Ad tertiam palmam varie venere Albana vina Urbi vicina prædulcia ac rara in auſtero.* Tertiam Albanis vinis dat palmam; quod Setinum primam, ſecundam vero Falernum, apud veteres Romanos obtinuiſſent. Denique, tertio, *i Surrentinum*, inquit *veteres maxime probavere. Sequens ætas Albanum aut Falernum.* & paucis interjectis: *Albana nervis utiliora, ſtomacho minus, quæ ſunt dulcia: auſtera vel Falerno utiliora. concoctionem minus adjuvant; ſtomachum modice implent.* Et adhuc infra: *Virium plus Surrentino, auſteritatis Albano, vehementiæ minus Falerno.*

De vino Albano Horatius ad Phyllidem: *k*

Eſt mihi nonum ſuperantis annum
Plenus Albani cadus.

d *de Poet. Dialogo* 8.

e *v.* Metelliano, & Hirtiano.

f *Lib.* 1. *Dipnoſophiſt.*

g *Lib.* 14. *c.* 2.

h *Lib.* 14. *c.* 6.

i *Lib.* 23. *c.* 1.

k *Od.* 11. *L.* 4.

Et

Et Satyra libri ſecundi ultima:

Hic herus: Albanum, Mæcenas, ſive Falernum
Te magis appoſitis delectat; habemus utrumque.

Et Martialis in Xeniorum Libro, ſub titulo, *Vinum Albanum*: l

l *Ep.* 106.

Hoc de Cæſareis mitis vindemia cellis
Miſit, Julæo quæ ſibi monte placet.

Uvam quoque Albanam, quæ fumo durata ſecundis menſis apponeretur cum laude, commemoravit Horatius, ex perſona Catii cujuſdam, cujus coquinaria præcepta profert ſimul atque deridet, Satyra libri ſecundi quarta, ſic:

Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco;
Nam facie præſtant. Venuncula convenit ollis.
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego fœcem primus & alec
Primus & invenior piper album, cum ſale nigro,
Incretum, puris circumpoſuiſſe catillis.

Cujus autem ædificii reliquiæ ſint murorum vetuſtiſſimorum rudera cavis nonnullis diſtincta, quæ adhuc viſuntur prope Albanum oppidum juxta Appiam Veterem ad Templum Deiparæ *ab Stella* nuncupatæ, dijudicare non auſim. Vulgus illic Veſtalium ædes cum Veſtæ templo exſurrexiſſe ſibi perſuadet, cum Albanenſes omnia Albæ Longæ monumenta oppido ſuo Albano accommodare non omittant. & Albæ Veſtæ cultum, etiam urbe diruta, Juvenalis nos doceat: *m*

m *Satyr.* 4.

Utque Lacus ſuperant, ubi quamquam diruta ſervat
Ignem Trojanum & Veſtam colit Alba minorem.

Verum iſti ipſi verſus falſam vulgi opinionem jugulant, diſerte memorantes, apud Albanum Lacum, & Albam Longam ſtetiſſe olim, & ipſa diruta Veſtæ Templum ac Veſtalium Collegium perſeveraſſe.

Vul-

Vulgus idem Albanenſium de Regina Stella, neſcio qua, quæ olim Albanis imperitaverit, a qua nomen Templo Virginis Deiparæ *della Stella*, blaterare non ceſſat. quod ſenex quidem nuper mihi apud idem Templum vetera inquirenti narrabat. In eo Templo a Benedicto XIII. Pontifice Maximo reſtituto atque ornato marmoreæ duæ ad luſtralem aquam continendam antiquæ pilæ viſuntur eleganti opere elaboratæ. & in Clauſtris *Carmelitarum* Templum idem excolentium ingens ſarcophagus Regis neſcio cujus aut Cæſaris venationem magnifico equitum, canum, cervorum aprorumque apparatu repræſentans, ſequioris tamen cælaturæ ac ætatis. Denique inſcripti fragmentum Lapidis muro inſertum cum notis:

- - CTI CLASSIS
VIXIT ANNIS XXXX

ſcilicet *Præfecti Claſſis* olim ſepulcrum.

CAPUT VII.

De Templis, Ædiculis, Sacellis, & Aris olim in Agro Albano.

DIximus, in Monte Albano Templum Jovis Latialis fuiſſe, ſummo cultu tum Priſcorum Latinorum, tum etiam Romanorum poſtea celebratum. Situm ejus, quantum ex veſtigiis colligere licuit, deſignavimus; Latinarumque Feriarum, quæ ibi diu agitatæ ſunt, ritus omnes fuſe deſcripſimus. Nunc Dedicationes aliquas Jovi factas in Albano, ibique detectas exponimus; ac deinde reliquorum numinum, in Albano cultorum templo, ſacello, vel ara, monumenta ſubnectimus. Itaque in baſi, cui

cui Jovis ſedentis ſtatua eſt impoſita, apud Gruterum ſic legitur: *a*

a *pag.* 12.

I. O. M. SACR
VOTO. SVSCEPTO. PRO. SALVTE
AVG. GERMANICI
PONT. MAXIMI
D. VETVRIVS ANTIGONVS
D. VETVRIVS SP. F. PHILO
D. VETVRIVS ALBANVS
PATER CVM FILIIS POSVIT

Altera Dedicatio Jovi ſimul cum aliis diis facta ſic habuit: *b*

b *Ligor. in Lib. A. L.*

IOVI OPTVMO
MAXVMO
MINERVAE
IVNONI VESTAE
ALBAN. SAC.
L. CORNELIVS L. F. FALERINA
PVPILLVS FLAMEN QVINQVEN
PATRONVS CASTRI MOENENSIVM
EX VOTO

Flamen Dialis Jovis Albani memoratur in Lapide Junoni Albanæ dedicato. Juno autem Albana vel eodem templo cum fratre & marito Jove culta fuit; vel ſeorſim in alio. Hanc eamdem cum Junone cœleſti fuiſſe comperimus: inde fortaſſe denominatam; quod in ſummo jugo, ſive arce, Montis Albani, coleretur templo; quaſi inter ſidera & cœleſtia corpora ſedem haberet. Illam plures Albanorum Coloniæ veneratæ ſunt. puta, Gabii, Fidenæ, Ficul-

nea,

nea, & demum ipſa Roma, in templo Jovis Capitolini, ubi Juno Albana ſignum habuit. Hinc eadem dicta Gabina, Fidenas, atque ita de ceteris urbibus denominata. Huic, itaque, a Marco Coilio talis facta eſt Dedicatio: *c*

c *Ligor. in Lib. A. L.*

M. COILIVS M. F. FAB. FIRMVS
FLAMEN. DIALIS. QVINQVENNALIS
PATRONVS. CORP. LVTORVM. CAST
FECIT IVNONI ALBANAE
PRO. MER. EIVSDEM. CORPOR
CVRANTE. ET. T. T
L. CLOVITIDIVS L. F. ALBANVS
KAL. IVN. IMP. CAES. VESPASIANO V̄
ET T. CAES. IIĪ. COSS

Altera eſt Dedicatio Marci Popillii Fuffiliani, ſic deſcripta: *d*

d *Idem v.* Popilliano.

IVNONI ALBANAE
M. POPILLIVS M. F
PAL. FVFFILIANVS
VI. VIR. AVG
DONVM DEDIT

Tertia, Albani reperta, a Sponio ſic recenſita: *e*

e *Sect. 3. p. 82.*

IVNONI ALBANAE
EVTYCHVS FAVSTINIANVS
ET EVTYCHIA FAVSTIN
AVG. LIBERTA FLORA
V. D. D

Circa templum Jovis & Junonis in Monte Albano plura facta cœlitus olim prodigia memorantur. Namque, Publio Clodio turbante Rempublicam U. C. A. IↃCLXXXXIX. ſacellum quoddam, inquit Dion, *f* Junonis exiguum, quod, in Albano ſuper menſam dedicatum, Orientem ſolem ſpectabat, ad Septemtriones converſum fuiſſe, nuntiatum eſt. Inter prodigia vero Philippenſe Bellum Caſſii & Bruti præcedentia, & illud narrat; *g* quod ſimulacrum Jovis, Albæ exſtans, ipſis Latinis Feriis, a dextro

f *Lib. 39.*

g *Lib. 47.*

humero & dextra manu ſanguinem ſtillavit. At ea inter prodigia quæ Marci Antonii Triumviri mortis fuere prænuntia, illud ſingulare, *h* quod ſtatua quoque Antonii in Albano, juxta Jovem, poſita, lapidea, multum ſanguinis effudit; quo illi interitus portendebatur. Xiphilinus, tandem, Dionis breviator, de Nerone ait, quod inter prodigia, Neronis mortem quæ præceſſerunt, in Albano, tanto ſanguine pluerat ut fluvii ipſi ſanguine redundarent. Porro, Martis templum in Albano Monte haud ita procul ab Albano Lacu exſtitiſſe, hiſtoria Rheæ Silviæ ſeu Iliæ, Romuli ac Remi matris, ſignificat. Siquidem Veſtalis hæc virgo, occaſione aquæ deferendæ ex luco & fonte Martis in templum Veſtæ, compreſſa a Marte, ſeu ab impuro homine qui Martem ſe eſſe dicebat, fuiſſe traditur a Livio & Dionyſio, ceteriſque Romanæ urbis exordia narrantibus ſcriptoribus. Huic Saliorum ſacerdotum Collegium miniſtraſſe, innuit inſcriptus Lapis in Sabinis apud Fabarim flumen repertus; quem refert Fabrettus, hujuſmodi: *i*

h *Lib.* 50.

i *Inſcript.* C. 2. *p.* 116.

P. AEL. P. F. PAL
TIRONI
SALIO ARCIS
ALBANAE. QVEM
IMP. CAES
ANTONINVS
AVG. PIVS
GERM. SARM. BRITT
AGENTEM AETATIS
ANNVM XIIII
MILITIA PRIMA
PRAEFECTVRA
EQVIT. BRAVCO
NVM. D. EXORNARE
DIGNATVS. EST
DEC. DEC
BLANDVS. PATER
PRO. AMORE. CIVI
TATIS. SVMMAM. ET
SVMPTVM. OMNEM

Quamquam non ignoremus, Salios non unius Martis fuiſſe ſacerdotes, ſed aliorum quoque deorum. Ut plurimum tamen Martis fuere; qui ancilia delapſa cœlo, ut vulgo quidem jactabatur, per urbem, ſaliendo, ſive ſaltando, deferrent, canentes Martis laudes. Quorum princeps & caput, ob hoc *Præſul*, id eſt, *præ, ante alios ſaltans* dictus eſt. Lapidem alium de Albanis Saliis memorantem videre eſt apud Kippingium Libro Antiquitatum Romanarum primo, Capite duodecimo, numero ſeptimo, his notis:

L. ANTISTIVS CN. F. HOR. SARCVLO
SALIVS ALBANVS IDEM MACISTER SALIORVM
ANTISTIA L. L. PLVTIA L. ANTHVS RVFVS
L. IMAGINES DE SVO FECERVNT
PATRONO ET PATRONAE PRO MERITIS

Poſt Martem, Venus etiam templo culta fuit in Albano. Siquidem Albani hæc generis princeps, Romani vero ipſius ille pater, quod ait Ovidius. Itaque Lapis elegantibus ſcalptus literis repertus eſt in Albano, quem Thomaſinus recenſuit, atque ita legit: *k*

k *De Donar. C.* 10.

VENERI GABINAE
ET ALBANAE SANCTAE
PRO SALVTE L.
IVNII PRIMOGENI
ET SECVNDINO FIL
L. IVNIVS. FELIX. PATR. CVPEDINIS
II. AER. PRO. SALVTE. POSVIT

Duo Veneris templa ſub Albano Monte & circa Lacum fuiſſe antiquitus, Kircherius exiſtimavit; & in Tabula ſitum Albani Montis & Lacus locorumque adjacentium repræſentante, quam noſtro huic Operi inſerendam curavimus; locum duplicis hujuſce templi Veneris deſignavit; in Monte alterum, con-

tra Romam, ſolis Occaſum ſpectantem; alterum vero in ima Lacus margine oppoſitum Albano Monti, Orientem plagam & Septemtriones verſus. Quod circa Lacum Albanum fuerit templum Veneris non incelebre, innuere potuit Horatius Ode Libri quarti prima, Venerem de Paullo Maximo juvene egregio allocutus, ſic:

Albanos prope te Lacus
Ponet marmoream ſub trabe Cypria.
Illic plurima naribus
Duces thura: lyræque & Berecynthiæ
Delectabere tibiæ
Miſtis carminibus non ſine fiſtula.
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Saliûm ter quatient humum.

Non longe pariter a templo Martis in Albano ædem Veſtæ fuiſſe, relata nuper ex Iliæ Romuli matris hiſtoria, conſtat. Veſtæ numen a Trojanis in Italiam advectum Lavinii primo celebratum eſt. mox ejus cultus Albam Longam ab Aſcanio conditore traductus; deinde Romæ quoque propagatus: perſeveravit enim Albæ, quamquam Romam urbium principem fuiſſet magnificentius translatus. De illo Juvenalis: *l*

l Sat. 4.

Utque Lacus ſuperant, ubi, quamquam diruta, ſervat
Ignem Trojanum, & Veſtam colit Alba minorem.

De Veſta & Veſtalibus tamen nil hic addendum; cum fuſe omnia in noſtro de Laurentibus Libro nuper fuerimus perſecuti. Illud tantum hic adjungendum; Pontificum Collegio ſubditas fuiſſe Veſtales. Quorum forte meminit Lapis apud Gruterum: *m*

m p. 235.

TI

TI CAISARI DIVI AVG. F
DIVI IVLI. N. AVGVSTO
PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVN
POTEST. sic. XVIII *
PONTIFICES ALBANI
Q. IVLIVS Q. F. FAB. RVFVS
C. IVLIVS C. F. SCA. BASSVS
TI. IVLIVS TIB. F. FAB. MERVLA
M. IVLIVS C. F. FAB. SENICIO

* *Forte* TRIB. POTEST. XXXII.

Hos omnes Albanos credimus fuiſſe, adoptatos in Gentem Juliam; quæ quoniam ab Julo Aſcanio oriunda ferebatur; inde Sacerdotium Veſtæ, ſive Pontificatum, quaſi domeſticum celebrabat. Eodem in templo Veſtæ colebantur in Albano Palladium, Penates, & dii magni, præcipue Cybele Phrygia, & Atys, quos *Cabirios*, *Caberios* & *Cabeſios*, Phrygio vocabulo, dictos memorant. His factæ Dedicationes repertæ duæ; quarum unam Pyrrhus Ligorius ita recenſuit: *n*

n *v.* Minotaurano.

DIS. MAGNIS
MATRI. DEVM. ET. ATTYDI
SEXTILIVS. AGESILAVS. AEGISIVS. V. C
CAVSARVM. NON. IGNOBILIS
AFRICAR. TRIB. ORATOR ET
IN CONSISTORIO. PRINCIP. ITEM. COGNITION.
SACRAR. MAGISTER. EPISTOLAR. MAGIST.
MEMORIAE. VICAR. PRAEFECTVR PER HISPANIAS
VICE. S. I. CVR. PATER. PATRVM. DEI. SOLIS INVICTI
MITRHAE. ARCHIBVCOLVS. DEI. LIBERI
TAVROBOLIO. CHRIOBOLIOQVE
IN. AETERNVM. RENATVS. ARAM
SACRAVIT. D. D. N. N.
VALENTE. IV. ET. FLAVIO
VALENTINIANO. IVN. AVG. COSS
IDIBVS. AVGVST

Notandum in Lapide, (ſi tamen legitimus eſt & genuinus) errorem irrepſiſſe IVN. pro IV. nam Valentinianus Aug. IV. & Valens frater ejus Aug. IV. Conſules fuerunt Anno ſalutis CCCLXXIII.

At

At Valens idem Conſulatum Quintum geſſit cum Valentiniano Juniore fratris ſui filio Anno CHR. CCCLXXVI. vel certe in Lapide pro: VALENTE IV. legendum: VALENTE V. Dolendum ſummopere horum deorum cultum tamdiu duraſſe, ut quartum quoque Chriſti ſæculum contigerit. Quod vix credibile foret; niſi aliis etiam ex erutis monumentis nimium idem confirmaretur; impiiſſimam ſcilicet ſimulacrorum ſuperſtitionem in ſuburbanis Romæ locis aliqua ex parte per ea tempora perduraſſe. Ceterum Lapis multa ſimul agglomerat inconcinne, ut ejus ſæculi barbariem in Inſcriptionibus plane redoleat. De Mithra & ejus cultu fuſe ſatis in noſtro Libro de Antiatibus actum eſt. Alterum Lapidem, ubi ſacerdos Cabeſis Montis Albani nominatur, protulit Gruterus in hanc ſententiam: *o*

o *p.* 323.

DIS. MAN
C. NONI. C. F. VRSI
SACERDOTIS. CABESIS
MONTIS. ALBANI
CVRIONIS. C. NONIVS. IVSTINVS
ALVMNO. DVLCISSIMO
VIX. ANN. LI. M. XI. D. XIII

De Cabiris eorumque ritibus & religionibus Pauſanias multa in Bœoticis memoravit. *p* Unde ſuperſtitionum omnium avida nutrix & imitatrix Roma eadem ſacra deſumſit. Lunæ quoque Dedicationem inſcriptam reperimus in Agro Albano, quæ talis erat: *q*

p *ſeu Lib.* 9. *p. mihi* 578.

q *Spon. p.* 270.

LVNAE. AETER. SACR
PRO. SALVTE
IMPER. CAES. L. SEPTIM
SEV. PII. INVIC. PRIN
PONT. MAX. P. P
IVL. BALBILLVS. IVL. F
ANVLLINVS
PRAEF. VIGIL
V. S. L. M

In villa vero Albana Domitiani, in qua deinde Hadrianus, & ſucceſſores Cæſares diverſati ſunt, Minervæ templum fuiſſe, ex iis quæ nuper de Villis in Agro Albano memoravimus, plane conſtat. In eo collocatam fortaſſe fuiſſe crediderim Inſcriptionem quam Albani repertam Sponius ita recenſuit: *r*

r *Sect.* 8. *p.* 270.

IMP. CAES. L. SEPT. SEVER. PII. PERT. AVG
PARTH. ET IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINI
PII. FELIC. AVG. PARTH. MAX. BRITANN
MAX. P. P. ET. IVLIAE. AVG. MATR. AVG
N. ET. SENAT. ET. PATRIAE. ET. CASTR
MINERVAE. AVG. SACR
DASIMIVS. FIRMAN. CORN. LEG. ET. AVR
VICTORIN. ACTAR. CVM. IMM. LIB
EXACTIS. VOTIS. M. F

Niſi tamen dixeris, hanc Dedicationem ipſi Juliæ Auguſtæ factam fuiſſe; quam per ſummam, & illa ætate conſuetam, adulationem *Minervam* nominaverint dedicatores. Ecce autem tibi aliud numen in Albano cultum *Flora Feronia*, cui a C. Junio Albano talis facta eſt Dedicatio: *ſ*

ſ *Ligor. v.* Truvia

FLORAE FERONIAE DICTALAE
SACRVM
C. IVNIVS. C. F. PALATIN. PRISCVS
ALBANVS. EQ. ROMANVS. EV. AVG
L. POMPONIO. FLACCO. L. F. C. COELIO. RVFO. COSS

Dubitavit de Lapide non nemo ob ſuſpectum Ligorium qui recenſuit. Conſules tamen qui in eo leguntur, legitimi ſunt, & in Faſtis Conſularibus Ricciolii, Pagii, Noriſii notantur U. C. An. IↃCCLXX. ſub Tiberio: Salutis vero XVII. ſic: *C. Cælius Rufus L. Pomponius Flaccus Græcinus*. Floram Feroniam Dictalam fuiſſe putaverim ipſam Floram floribus præpoſitam, notum Romanis & cultum numen, quam Ze-

Zephyri uxorem Poetæ fabulati ſunt. *Feroniam* vero nominatam a C. Junio ob fertilitatem & feracitatem florum quam in prædio ipſe ſuo vel expertus fuerat, vel certe experiri optabat. *Dictalæ* autem, ſive *Oſtendenti* a Græca voce δείκνυμι *oſtendo*, quaſi Flora per uberem florum copiam feracitatem fructuum oſtenderet. Si tamen mendum in Lapidem, vel ejus deſcriptionem non irrepſerit; legendumque fuerit non *Dictalæ*, ſed *Dictæ*. tunc enim ſimpliciter eſſet lectio *Floræ Feroniæ Dictæ*; quod additum fuiſſet ad diſcrimen ſigni ejus peculiaris Floræ quod in Juniano prædio erat, cuique ſingulariter cognomentum *Feroniæ* fuerat impoſitum.

Æſculapium quoque & Hygiam vel templum vel ſacellum aliquod vel aram vel certe ſignum in Albano habuiſſe, ſignificare videtur Lapis cum eorum Dedicatione, apud Albanum lectus in hæc verba:

AESCVLAPIO. ET. HYGIAE. P. AEL. SYRVS
AVG. M. SEP. APVL. ET. VALE. SEVERA CONIVX
ET. AEL. SYRA. FILIA. EX. VOTO. PORTICVM
PEDES. TRIGINTA. F. F

Scilicet, Æſculapii templa porticum ut haberent, moris erat; in qua ægroti, & prægnantes mulieres noctu dormirent, integram valetudinem & felicem partum ab Æſculapio per viſum adepturi. Credebant enim, ſi apud Æſculapii fanum dormiſſent, ab eo numine per ſomnum, nocturno viſu, monendos ſe eſſe, quodnam potiſſimum ſuis morbis adhiberent medicamentum. quo facto valetudinem integre ſe recuperaturos, pro certiſſimo habebant. Unde etiam tabellas votivas, ſeu voti ſoluti teſtes, in ejuſdem templis ponebant; quæ, per viſum ab iis, beneficio numinis, oſtenſo remedio, valetudinem re-

cu-

Ex Ruinis Veterum Albanorum in Villa Pauluccia Albana.

Romuli et Remi Primordia, deque nouæ Vrbi conditæ imponendo nomine certamen. ex quo Romæ Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Fluminis Statua, éruinis Veterum Albanorum, in Villa Barberinorum Albana prostans, rudi saxo, et sculpturâ effformata.

Tab. V.

Fluminis item Statua, campos frugibus fœcundantis, fortasse Nili, ex Veterum Albanorum ruinis, in Albana Barberinorum Villa extans.

Tab. VI.

A. Imago ueteris sacrificij, éruinis Albanorum, in Villa Barberinorum Albana adhuc prostans.
B. Tertia, forte, Fluminis statua, ex Albanorum ruinis, in Albana Barberinorum Villa.

Thermarum Albanarum Vestigia, quæ in Albano Pompeij Magni Prætorio, iuxta Appiam Viam, sunt: eiusdemque Magni de nomine, ex Veteri Cellæ Magni, nunc Cello Maio uocitari existimantur.

Boreas

Scala Palmorum Romanorum

10 20 30 40 50 60 70 80 90 100

Subterraneæ Substructiones Thermarum adhuc extantes Albani, uulgo Cello Maio; forte ex antiquo Cellæ Magni: scilicet Pompeij; propæ Templum Diui Petri.

Thermarum Albanarum Vestigia, quæ in Albano Pompeij Magni sitæ olim, supra terram uisuntur, diligenter conquisita, et repræsentata. extant Albani, iuxta Appiam, uulgo Cello Maio: forte Cellæ Magni.





Boreas



Scala Palmorum Romanorum

50 20 30 40 50 60 70 80 90 100

Murorum, ad Veteres Albanas Thermas, uulgo Cello Maio, praecipuorum situs ac Ductus, Anno Salutis MDCCXXXVI. Descriptus.





Thermarum Albanarum Magnificentissimarum Rudera, prout ante annum Salutis MDCCXXXV. cernebantur Albani, iuxta Viam Appiam; uulgo Cello Maia; forte ex Veteri appellatione Cellæ Magni; scilic. Pompeij earum extructoris et domini.



Sepulchri Horatiorum et Curiatiorum perperam crediti Vestigia, prout nunc uisuntur Albani, in Antiquo Appiæ Viæ Limite, dilabentia.

Tab. XI.

Castri Sabellij diruti Prospectus, in Agro Albano, uulgo Sauello, siue Castel Sauello.

cuperatam publice teſtificarentur. Quemadmodum in noſtro Æſculapio Antiati, pluribus hujuſmodi monumentis prolatis, narravimus. Tantis miſeros homines præſtigiis humani generis tæterrimus hoſtis, Deo Optimo Maximo, altiſſimum ob conſilium & inſcrutabile, hæc permittente, ludificabat! Ut plurimum enim vel ipſum dæmonium morbos cauſſabatur, vel ficta illos valetudine, & in ſpeciem tantum, donabat; vel ſi etiam vera; ut quod rerum in natura latentium vim omnem apprime calleat; id demum in miſerrimam ſemper animi corporiſque ſuorum clientium perniciem vaferrime atque occultiſſime convertebat.

Fuit etiam in Albano ara Hoſiridi & Fortunæ Superæ dedicata. Cujus hoc monumentum: *t*

t *Spon. Sect. 3. p. 103.*

MVTILLIA
ALBANA
HOSIRI. ET
FORTVNAE
SVPERAE
IMPERIO
POSVIT

Oſirim, ſive *Hoſirim*, ut eſt in Lapide, Ægyptium numen a Romanis ſub Cæſaribus cultiſſimum, ſcimus. De illo inter ceteros Horatius & Juvenalis. Ille: *u* Hic:

u *Hor. Ep. 17. L. 1. Juven. Sat. 8.*

- - - per ſanctum juratus dicat Oſirim.

Exclamare libet, populus quod clamat, Oſiri Invento.

Fortunarum quamplurima nomina, pro viciſſitudinum humanarum diverſitate. Hic *Supera* vocatur Fortuna. dicitque Mutillia Albana femina, ſe ejus imperio, ſeu viſu & monitu, aram illi cum Hoſiride dedicaviſſe. De Fortunis nos in noſtro de Antiatibus Libro ad plenum egimus.

Porro, diis Genialibus aram dedicavit Sextus Hippurius Caji filius e Tribu Galeria Albanus; cujus talis fuit Dedicatio: *x*

x *Ligor. v.* Hippuria.

SEX. HIPPVRIVS. C. F. GALERIA
ALBANVS. TRIBVNVS. COHORTIS V. PRAETOR
NEPES. PATRON. FECIT. SIBI. ET. SVIS HERED
POSTERISQ. EORVM. ET
ARAM. GENIALIBVS. DIIS DEDIC
III NON. IVNIAS. Q. FABIO CATVLLINO
ET M. *FABIO. APRO. COSS
HOC. MONVM. IN FRONTE. PED. XIV
IN AGRO. PEDES. XV.

* *al.* FLAVIO *U. C. An.* 883. CHRISTI 30. *sub Hadriano.*

Ex quibus verbis cognoscimus, sepulcralem hunc fuisse Lapidem, ac proinde *Geniales deos* eosdem ac *Manes* reputasse Sextum Hippurium; & idcirco in principio marmoris literas *D. M* consuetas in sepulcralibus inscribi, omisisse; quod infra *deos Geniales* voluit nominare. Hi *Geniales* dii crediti sunt idem ac *Genius* vita functorum; & hic sæpe idem ac *animus* seu *anima*, quam etiam *Umbram* dixere. Duos præcipue hominum deos Genios præsides creditos ab Antiquis fuisse, nos pulcherrime Horatius monuit Epistola ad Julium Florum, quæ secundi Libri est altera; circa finem namque ita disseruit:

Cur alter fratrum cessare, & ludere, & ungi
Præferat Herodis palmetis pinguibus: alter
Dives, & importunus, ad umbram lucis ab ortu,
Silvestrem flammis & ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturæ deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus & ater.

De his tamen longissima esset disceptatio instituenda; quæ longissime nos ab instituto abduceret. quare parcendum omnino reliquis.

Duodecim quoque simul deorum fuisse aram in Al-

Albano dedicatam memorant, quorum ſigna, deſtructa Alba, Romam translata fuerant. Lapis marmoreus, ubi hæc numina duodecim inſculpta erant, ex Albano delatus ad vetus Ciceronis Tuſculanum, hodie *Grotta Ferrata*, ibi proſtans viſus, & recenſitus a Pyrrho Ligorio, perhibetur; apud quem, proinde, rei hujuſce ſit tota fides. *y* Qui refert pariter, in Colle Albano, cui dextrum Appiæ Viæ latus ſubjacet, fontem fuiſſe Albuſiæ, ſive Albuniæ, Juturnæ conſecratum. hunc ex colle in rotundam quamdam cavitatem decidere ait, inſtar amphitheatri, naturaliter diſpoſitam. huc aquas congregari, & Lacum exiguum efficere, qui dicitur vulgo *Toturnus*. circa locum exſtructa quondam fuiſſe ædificia; ſed ubi fons apparet, rudera magnæ & ſumtuoſæ villæ clare perſpici. *z* Hæc omnia Pyrrhus. De quibus quid negem vel affirmem, non habeo; cum aliis eadem documentis ſtabilire non poſſim: unumque unicum Ligorium, quando hiſtoricum, vel fabuloſorum rituum interpretem agit, ſequi non conſueverim; licet in Lapidibus ab ipſo erutis recenſendis, ejus auctoritatem, & oculatum teſtimonium numquam improbaverim.

y *v.* Algidiano Memmiano.

z *v.* Albuſia.

Templis & ædiculis deorum in Agro Albano hactenus enumeratis adde etiam Valloniæ ſacellum & Liberi Perperniani ædiculam, quorum Dedicationes, inter Albanas villas recenſendum, attulimus.

In Agro Albano pariter monimentum aliquod Romuli, ſub Quirini nomine, olim exſtitiſſe crediderim, quo loco veteres, Romulum inter cœleſtes relatum, Julio Proculo Albano & Alba Longa Romam petenti apparuiſſe poſt obitum, fabulati ſunt. *a* De illo talia commentus eſt Naſo; cum, Patres de ejus cæde in ſuſpicionem veniſſe apud populum, narraſſet:

a *Faſt. L. 2.*

Sed Proculus Longa veniebat Julius Alba:
Lunaque fulgebat: nec facis usus erat.
Cum subito motu nubes crepuere sinistræ;
Rettulit ille gradus; horrueruntque comæ.
Pulcher & humano major, trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via:
Et dixisse simul: Prohibe lugere Quirites;
Nec violent lacrimis numina nostra suis.
Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum;
Et patrias artes militiamque colant.
Jussit: & in tenues oculis evanuit auras.
Convocat hic Patres; jussaque verba refert.
Templa deo fiunt: collis quoque dictus ab illo:
Et referunt certi sacra paterna dies.

Eadem ferme habet Livius, qui etiam Julii Proculi ad populum & Patres habitam concionem expoſuit. *b*

b L. 1.

CAPUT VIII.

De Albanis Familiis apud Romanos illuſtribus.

ID QUIDEM Albæ Longæ civibus duriſſimum contigerat, ut, patria, qua nil fere in humanis mortali carius, ab hoſte diruta atque everſa, ſedes mutare coacti fuiſſent: non tamen idcirco vagi plerique eorum vitam cum ſuis perpetuo in exſilio traduxerunt. Verum in partem Romanæ urbis & civitatis recepti, illuſtriore quoque quam antea ſplendore ac rerum geſtarum gloria claruerunt. Abunde itaque patriæ ruinam, & nativarum illis mutationem ſedium ſors compenſavit; ſiquidem potiſſima triumphatoris omnium gentium Populi pars ſunt effe-

fecti. Potissima, inquam, multis de caussis. Nam primo quidem omnibus constat, Romam Albanorum fuisse Coloniam, ab Romulo Albano & Albani regis nepote deductam. quod toties Dionysius inculcat. Quamquam autem primi qui sub Romulo novæ Urbis mœnia incoluerunt mortales, non uno ex loco in eas sedes convenerint; sed aliunde alii; apertoque asylo, ex vicinis longinquisve populis vagum quemque, homicidam, ac profugum Romulus inter suos adlegere non recusaverit: pars nihilominus ex Romuli ejusdem ac Remi civibus, nempe Albanis, in novæ Urbis condendæ ac celebrandæ exordiis convenit. Itaque Romanorum omnium familiæ antiquissimæ Albanæ fuerunt: primusque rex Romæ Albanus. Præterea eas omnes Romanas familias quæ ab Ænea primam sui originem vel ab ejus sociis Trojanis jactabant, Albanas quoque, Lavinio ac Laurento translatas fuisse, merito reputamus. Ascanius enim, Æneæ filius, nobiliores potioresque ex Lavinienſibus ac Laurentinis Albam traduxerat. Alba demum eversa, populus ejus prope universus Romam ab Tullo rege translatus, & in Cœlio monte, suam prope Regiam, honestissimo loco constitutus. Interque Patricias Romanas familias Albanarum præcipuæ allectæ. tantoque consensu, tanta frequentia, tam arcto charitatis vinculo, invicem Albani Romanique copulati sunt; ut non duo jam, sed unus omnino populus fierent. Unde factum etiam est ut scriptores nonnulli, ad hæc respicientes, pro Romanis Albanos aliquando nominarent. Quale est illud Maronis in principio: *Genus unde Latinum, Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ*. Et Horatii alterum: [*a*] *Jam mari terraque manus potentes Medus, Albanasque timet secures*. Ceterum, Tullus rex,

[*a*] *in Carmine Sæculari.*

ex

ex Dionyſii teſtimonio, per Romanas tribus, & curias, Albano populo diſtributo, in Senatum & ad magiſtratus gerendos admiſit familias has: *b Julios, Servilios, Geganios, Metilios, Curiatios, Quintilios, Clœlios.* Per quos, alioſque Albani ſummum Romæ imperium, ſive Conſulatum, ſeu Dictaturam, Reipublicæ tempore ſæpiſſime obtinuerunt. Per gentem vero Juliam, imperium quoque Terrarum Orbis in Julio Cæſare, & Octavio Auguſto in gentem Juliam adoptato, maxima rerum geſtarum gloria, adepti ſunt. Porro, hanc, ex quamplurimis veterum ſcriptorum teſtimoniis, veterumque Lapidum monumentis, Albanarum Familiarum Romæ illuſtrium ſeriem contexere poſſe videmur; ut fuerint, inter ceteras quarum originem ignoramus, Acilia, Æmilia, Apuſtia, Atucia, Aurelia, Balburia, Birria, Cæcilia, Canidia, Carbonia, Caſcellia, Caſperia, Cincia, Claudia, Cloœlia, Cluentia, Coœlia, Collia, Curia, Curiatia, Curionia, Fabia, Fuffia, Gegania ſeu Gigania, Hirtia, Hippuria, Julia, Junia, Iſacia, Licinia, Liſinia, Mænia, Memmia, Metella, Metia, Metilia, Munatia, Mutilia, Nævia, Nautia, Nonia, Pinaria, Pompeja, Pontia, Popillia, Quintilia, Ræſtiſia, Sabellia, Saonia, Sergia, Servilia, Titillia, Titinnia, Trebellia, Vatinia, Veturia; & ceteræ, quarum omnia ſunt monimenta deperdita. Harum autem quas memoravimus, non omnium Albana origo eadem conſtat certitudine. immo de earum multis levis tantum eſt ſuſpicio, aut conjectura quod origine fuerint Albanæ. Quas tamen, dum Albanorum vetera omnia monumenta huc congeſta proponerem, omittere omnino non potui. Quamvis enim non ignorem, ex his nonnullas aliunde, quam Alba Longa, ſive, ſubſecutis ſæculis, Albano oppido, Romam veniſſe,

b *Antiquitat. L. 3.*

ut-

utpote Pompejam a Pompejis, Campaniæ oppido, Claudiam a Clauſo Sabino, Metiam Lanuvio, Fuſſiam Calibus, Cœliam Etruſcam, aliaſque cognomines cum recenſitis, aliunde; nihilominus ſuum noſtræ conjecturæ ſtat pondus, ex Lapidibus erutis in Agro Albano, vel alibi etiam, in quibus hæ familiæ, vel earum aliquis *Albanos* ſe nominant. Cum neque inveriſimile, neque novum videri poſſit, in Urbe populoſiſſima, qualis Roma, plures inter ſe diſtinctas gentes atque adeo familias ejuſdem nominis exſtitiſſe; cum idem paſſim in urbibus multo minus frequentibus contigiſſe, atque adeo nunc quoque paſſim contingere, videamus. Harum familiarum res geſtas Dionyſius, Livius, aliique Romanæ Hiſtoriæ ſcriptores memoravere. Plurium ex iiſdem nummos edidit atque explicavit in Romanarum Familiarum libris Joannes Vaillantius: in quibus tamen, quod nil peculiariter Albanum contineant, ſed omnia Romana, non immorabimur, neque illos huc operæ prætium erit adducere. Loca quidem ſcriptorum quorumdam qui de aliquibus ex his familiis non ita notis mentionem habuerunt, Lapideſque in quibus earum aliquis Albanum ſe nominat, huc in medium afferre, peropportunum. Itaque de Saonia, Nautia, Servilia, Gegania ſeu Gigania, Cluentia, Sergia, Memmia, Junia, Acilia, quas Laurenti primo conſediſſe, antequam cum Aſcanio Albam migrarent, nos ex antiquis monumentis eruta teſtimonia, in Libro de Laurentinis protulimus. Ex gente autem Acilia Albana fuiſſe videntur Acilii Glabriones pater & filius ſub Domitiano; de quibus nos quoque, ubi de villis Albanis, egimus. Chriſtianos hoſce fuiſſe, & pro Chriſto feris objectos in Amphitheatro Albano ab Domitiano in

Chri-

Chriſtianos ſæviente Baronius credidit, & memoravit. Inſuper Julios, Servilios, Geganios, Metilios, Curiatios, Quintilios, Cloelios ex ruinis Albæ Romam inter Senatores traductos, nuperrime memoravimus ex Dionyſio. Videtur autem Metilia gens eadem fortaſſe ac Mutilia, ex qua fuit Mutillia Albana, quæ Hoſiridi ac Fortunæ Superæ aram dedicavit in Albano. Cujus jam Dedicationem adduximus. Ex gente vero Cloelia Albana nomen deſumſiſſe Foſſas quinto circiter ab Urbe lapide Via Appia veriſimile eſt. quas & *Cloelias* & *Cluilias Foſſas*, invenimus nominatas. Hujus gentis Cluilius Albanorum Dictator fuit; qui, dum bellum, ſeu potius prœlium, commiſſurus cum Romanis eſſet, repentino fato ſublatus eſt. Num, idem hic eſt atque ille de quo Cato in primi Libri Originum fragmentis apud Feſtum ait: *Cloelius Prætor Albanus oratores miſit Romam?* Ex eadem forte fuerit celebris Cloelia virgo jam Romana, quæ bello Etruſco adverſus Porſenam regem cum obſes data fuiſſet Etruſcis, tranſmiſſo amne Tiberi, impavida cum comitibus enatavit ad ſuos; hinc ut ſociis donaretur obſidibus meruit, & ad pacem faciendam regem ipſum, tantæ fortitudinis miraculo conſternatum, permovit. unde Romani Cloeliæ benemerenti de Republica equeſtrem ſtatuam in ſumma Sacra Via poſuerunt, ut narrat Livius Libro ſecundo. Hujus gentis nomen *Illuſtre* ſonat. Siquidem *cluo* ſeu *clueo* idem Latinis Priſcis fuit ac *clareſco*; unde *inclutus* ſive *inclytus*, vir clarus dici conſuevit. De Julia ſatius nihil, quam pauca, recenſuiſſe; cum potior pars Latinorum Hiſtoricorum atque Græcorum tot tantaque in ea illuſtranda contulerit teſtimonia. Ex Quintilia vero, Quintilius Varus fuit, ſub Auguſto,

ſto, qui, male re geſta, cum toto pæne ſuo exercitu periit, in expeditione contra Germanos. De quo illud Auguſti Cæſaris, caput idemtidem præ dolore parieti illidentis, lamentum, apud Suetonium: *Quintili Vare, redde legiones*. Num hic idem cum eo ad quem Horatius: *c*

c *Od.* 18. *L.* 1.

Nullam, Vare, ſacra vite prius ſeveris arborem
Circa mite ſolum Tiburis, & mœnia Catili;

diſputant auctores. Ejus quidem in Germania peremti mortem videri poſſet deflere toto eo carmine, ubi inter cetera: *d*

d *Od.* 24. *L.* 1.

Ergo Quintilium perpetuus ſopor Urget?

cum & illius caſus flebiliſſimus, & Auguſto, ut ajebam, funeſtiſſimus acciderit; & ipſe Varus Virgilio fuerit amiciſſimus, ad quem carmen illud Horatius ſcripſit. Series tamen temporum manifeſte repugnat. cum Varianam cladem mortuis jam plures annos Horatio Virgilioque contigiſſe ſciamus. Fuiſſe illum Poetam, & acris judicii in aliorum carminibus probandis & emendandis, Horatius idem commemorat, *e* iis verſibus:

e *Hor. in Arte.*

Quintilio ſi quid recitares; Corrige, ſodes,
Hoc, ajebat, & hoc. &c.

Quia tamen celeberrimum fuit Tibure rus Quintilii Vari, eo loco ubi hodie etiam vaſtiſſima rudera adparent, cum nomine priſcum olente *Quintigliolo*; eo melius rem examinandam rejicimus cum plures Quintilii fuerint ſub Auguſto, ac præcipue Quintilius Cremonenſis, Virgilii amiciſſimus; cujus proinde mortem in carmine nuper commemorato ad Virgilium, defletam ab Horatio plerique omnes exiſtiment. De Curiatiis quod gens Albana fuerint, Tergeminorum certamen fratrum cum Horatiis Romanis, luculentiſſimum eſt teſtimonium. Num ex

hac gente Curiatius ille de quo Martialis, percelebri carmine? *f*

f *Lib.* 4. *Ep.* 68.

Cum Tiburtinas damnet Curiatiùs auras,
Inter laudatas ad Styga miſſus aquas &c.

Pro aliis familiis Albæ aſſerendis hæc faciunt. Pro Metia quidem Varro de Originibus, & Metius Fuffetius, ſive Suffetius, Albanorum Dictator ultimus. Cujus celebris & a nobis quoque hic jam denarrata eſt hiſtoria. Lapis etiam apud Ligorium his notis:

DIS. MANIBVS
M. METIVS. L. F. ALBANVS
MILES COH. XI. PRAETORIAE
V. F. SIBI. ET. SVIS. HEREDIB
H. M. HE. N. S.
IN. FR. P. XIII. IN. AGR. P. XVI.

Pro Cornelia Gruterianus Lapis in quo Lucius Cornelius, Lucii filius, ex Tribu Faleria, Albanum diſerte ſe nominat. recenſuimus inter Albanarum villarum monumenta. Item pro Atucia, Lapis alius Atucii Albani Veterani, pariter recenſitus. *g* Sic Noniæ ſuffragatur Lapis in quo nomen Caji Nonii C. F. Urſi ſacerdotis Cabeſis Montis Albani, jam memoratus. Veturiam, inter Albanas, Decius Veturius Albanus pater cum filiis aſſeruit. Idem cum Hippuria præſtitit Sextus Hippurius C. F. ex Tribu Galeria Albanus; cujus, præter adductum, aliud quoque ſic legitur monumentum, in Agro Albano repertum: *h*

g *Releg. hæc omn. ubi de villis, templis, aliiſque monum. in Agro Albano.*

h *Ligor. v.* Hippuria.

C. HIPPVRIVS Q. F. GALER. ASPER
EQ. PVBLIC. FOR. CLAVD
FECIT. SIBI. ET. HIPPVRIAE. VESTAE
MATRI. ET. L. HIPPVRIO. GALER
SEVERO. FILIO. DVLCISSIMO. ET. ASPERNIAE
VACRIAE. CONIVGI. SVAE. DVLCISS. FIDELISS. FEM
ET LIBERIS. POSTERISQ. SVIS. ET
HEREDIB. EORVM

Iſaciam refert Lapis pariter apud Ligorium: *i*

i *v.* Iſacia.

D. M.
M. ISACIO. M. F. ANIENS. FVFFICIANO
ALBANO. ADLECTO A SACRATISS. IMP
CAESARE TI. CLAVDIO. AVGVSTO
INTER. PATRICIOS. CANDIDATO. ET
PROPRAETORE. PROVINC. GALLECIAE
PRAEF. PEREGRIN. PROVINC. BELGICAE
LEGAT. PROVINC. CYMRANAICAE
TRIBVNO MIL. BIS. CVR. VIARVM
AVRELIAE. TRIVMPHALIS. CLAVDIAE. ET
CASSIAE. CIMINIAE. CORRECT. TVSCIAE. ET
VMBRIAE. Q. ISACIVS. M. F. ANIEN
FVFFIVS. PATRI. DIGNISSIMO. P

Birriam vero fragmentum Lapidis inter Etruſcas veteres Inſcriptiones allatus atque ſuppletus ab Eruditiſſimo viro Antonio Franciſco Gorio, ſic: *k*

k *Inſcript. Etruſc. P.* 1. *pag.* 159.

D. M. M. BIRRI
ALBANI
BIRRIA NICE
CONIVGI. A-----

Mæniam, ex qua C. Mænius Conſul, qui Latinos Veteres vicit, & Antiates, Urbis Conditæ quadringenteſimo trigeſimo, cujus triumphus in Capitolinis Tabulis recenſetur, Albanam fuiſſe, Ligorianum marmor teſtatur: *l*

l *Ligorius v.* Mænia.

D. M.
M. MAENIO. M. F. ALBANO. V. C.
CAELEMONTANO. PRAEF. PEREGR.
L. MAENIVS. M. F. PROBVS. CVRAT
PEREGRIN. FECIT. SIBI. ET. PATRI. SVO
ET. MAENIAE. MATRI. PIISSIM.
IN. FR. P. IX. IN. AGR. P. XII.

Et Fuffiam baſis ſub ſtatua, monumento Fuffiæ Torquatæ appoſita a M. Fuffio Albano, ſic referens: *m*

m *Ligor. v.* Pitulo.

M. FVFFIVS M. F. FABAT
ALBANVS
EQ. ROM. PRAEF. FABRVM
MVNIC. PITVLAN. FECIT. ET. SIBI
ET. FVFFIAE. TORQVATAE. SABINAE VX.
RARISSIM. ET. PIISSIM. FEMIN.
L. D. D. D.

Curiam quoque Lapis in regione Fontis Lolliani repertus: *n*

n *Id. v.* Roma.

IVN. GLABRIO. ET. T. HOMOLLIO. COSS
MAGISTRI. FONTIS. C. CISELLIVS. CHRISPINVS
C. POMPEIVS. SABINVS. C. CVRIVS. ALBANVS
CAIVS TITINIVS VARVS - - - - - - - - - - -

Qui Ligorium, inſcriptos Lapides finxiſſe, accuſant; confictum hunc ab illo criminantur; ob Conſulum male enuntiata nomina; quæ vere fuiſſe dicunt *M. Acilius Glabrio* & *M. Valerius Homulus* Coſſ. U. C. An. CMV. Salut. CLII. Nos vero, qui ab Ligorio confictum quidquam dolo malo, adduci numquam poſſumus ut credamus, ejus tantummodo errorem in iis deſcribendis nominibus animadvertimus. Cœiliam ſive Coiliam, quam eamdem cum Collia fuiſſe, ſunt qui exiſtimant, quamquam Etruſcæ originis aliam Vaillantius referat ex Urſino, Albæ tamen Lapides antiqui addixere. En illos: *o*

o *Id. ibid. region. Eſquil.*

D. M.
C. COEILIO. C. F. QVIRIN
ALBANO
VETERANO. LEG. V. CLAVDIAE. VIXIT
ANN. XC. MILITAVIT. ANN. XXX
COLLIA. MODERATA. CALLIDIA. VX
ET HERED. T. F. P. ĪIIĪ. QVOQVE. V.

Alter habet:

D. M.

D. M. SAC.
COLLIAE. TORQVATAE. DIANAESIAE
FEMINAE. SANCTISSIMAE.
L. COLLIVS. L. F. LATINVS. EQ. ROM
FECIT. ET. SIBI. ET. SVIS POSTERISQ.

Ræſtiſiæ Albanæ tale fuit monumentum, Romæ in Cœliolo monte detectum: *p*

p *Id. ib. Cœliol.*

MINERVAE. AVGVSTAE. SACRVM
L. RAESTISIVS. L. F. ALBANVS
VICI. HOSTILIANI MAGISTR.
AREA. ET. SIGN. RESTITVIT
COER---- ---CONSENT
AERE. MVLCTAT.

Apuſtiæ vero illud in Viæ Flaminiæ ſepulcro, quod habuit: *q*

q *Id. de Famil. Rom. p.* 66.

D. M.
APVSTIAE. MARCIANAE. C. F.
A. APVSTIVS. A. F. Q. N. ALBANVS
CONIVGI. PIISSIMAE SANCTAE
APUSTIA MARCIANILLA. F. E.
ET APVSTIVS. A. F. FAB. QVIETVS
F. F.

Hujus familiæ forte fuit L. Apuſtius Virgula Conſul cum M. Valerio Levino, U. C. IↃXXVIII. De Balburia & Cæcilia & Memmia Albanis, atque de Mæcia, quam tamen cum Metia eamdem putamus, fragmenta Lapidum loquentia, a ſe viſa Ligorius teſtatur, *r* in Viis Latina atque Appia. De Nevia ſeu Nævia idem auctor in Libro de Familiis Romanis ſuſpicatur, quod Alba fuerit oriunda; ex eaque floruiſſe exiſtimat Q. Nævium Centurionem, cujus virtute atque induſtria Q. Fulvius Flaccus Conſul

r *v.* Mæcia.

ſul Capuanos vicit; & C. Nævium Barbatum Ædilem. ſcimus, Romæ inter ceteras Urbis Portas & Næviam computatam; quam plures eam fuiſſe credunt quæ nunc dicitur *Porta Maggiore*, vel aliam, nunc clauſam, prope iſtam. De aliis denique reliquis in noſtra Albanarum ſerie recenſitis, & noſtri hujuſce Libri Lapides omnes inſcriptos relegere, & Ligorium ipſum adire quilibet poterit, in Libro quem de Romanis Familiis ſcripſit; ubi late ſingularum originem inveſtigat. Quam pariter idemtidem antiquis Romanis Familiis appoſuerunt Fulvius Urſinus, &, ex eo plurima mutuatus, Joannes Vaillantius, in ſuis de iiſdem Familiis eruditiſſimis Commentariis. In quibus tamen ſæpe de origine Familiarum ne verbum quidem fecerunt; earumdem rebus geſtis quæ a nummis repræſentantur explicandis pæne unice intenti.

Inter Albanas familias locum quærere videtur Rubria quædam *Albanienſis*; cujus talis eſt apud Sponium Inſcriptio, urnæ, in villa Cælimontana Matthejorum Romæ exſtanti, appoſita: *f*

f Sect. 5. p. 155.

RVBRIA PRIMA
ALBANIESIS
P. RVBRIVS. REVTILIS
AMICE. HAVE. ET
VALE. EGO. HIC
SITVS. SVM.

Hanc mulierem Sponius Albanam putavit, ſcilicet ex oppido *Albano*, apud Albanum Pompeji excitato; cujus cives *Albanienſes* dicti ſunt, ut initio hujus Libri nos quoque allatis exemplis animadvertimus. Ex Albana quoque familia, incertum tamen cu-

cujus nominis, Sanctus Innocentius Primus Romanus Pontifex fuit, qui proinde ab ejus vitæ ſcriptoribus notatur patria *Albanenſis* ; floruit is circa dimidium ſæculi a Chriſto nato quinti. Sæculo autem ſeptimo, ante medium, Sanctus *Euſtratius Epiſcopus Albanenſis*. Et ante hos Toxotius Patricius Romanus nobiliſſimus, qui, teſte Divo Hieronymo ad Euſtochium, *t* Æneæ, & Juliorum altiſſimum ſanguinem trahebat. Item Albani Inſcriptiones Græcæ duæ legebantur, quas Gruterus ita recenſuit: *u*

t *pag. mihi* 164. *r.* 1.

u *pag.* 660. *n.* 8. *&* 9. *Albani in templo rotundo in ara.*

ΕΡΜΙΑΙ
ΒΑΡΓΥΛΙΗΤΗΙ
Λ. ΑΤΕΙΛΙΟC
ΚΑΙ-CΕΙΛΙΑΝΟC
ΦΙΛΩΙ ΚΑΙ
ΤΡΟΦΙΜΩΙ

Altera vero ſic habet:

Λ. ΚΛΑΥΔΙΩΙ
ΔΙΟΔΩΡΩΙ
Λ. ΑΤΕΙΛΙΟC
ΚΑΙ-CΕΙΛΙΑΝΟC
ΦΙΛΩΙ ΚΑΙ
ΤΡΟΦΙΜΩΙ
ΕΥCΕΒΕCΤΑΤΩΙ
ΚΑΙ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩΙ

Quæ Latine ſic reddi debent: *Hermiæ Bargyliiti Lucius Atilius &) Seilianus Amico &) Alumno*. Et rurſum: *Lucio Claudio Diodoro Lucius Atilius &) Seilianus Amico &) Alumno Piiſſimo &) Dulciſſimo*. Hermiam Latine diceremus *Mercurialem*. ſiquidem *Hermes* Mercurius eſt Græcis. *Diodorus* eſt *Donum Jovis*. Fortaſſe utrobique *Seilianus* idem fuit ac *Silvanus*. Ceterum, ſigma figura noſtri C, ſæcula redolet minus vetuſta. in quæ revocatum eſt, poſtquam, ab antiquiſſimis ſæculis olim adhibitum, jam uſurpari deſierat. Quod enim

enim antiquioribus Romanæ Reipublicæ ſæculis ſigma Græcum figura *C* Latini effingeretur, nobis liquido conſtat ex Inſcriptionibus vetuſtiſſimis Præneſtinis in Fortunæ Primigeniæ templi pavimento, ad animalium monſtroſorum figuras appoſitis; in quibus ſigmata præſertim terminalia, ea fere ſemper figura repræſentantur; quamquam & altera figura, Σ ſic, aliqua expreſſa ibidem non deficiant.

CAPUT IX.

De Bovillis, antiquo Oppido olim in Agro Albano.

IN AGRO olim Albano, ſcilicet circa Longam Albam, atque adeo, ut quibuſdam placet, ex ipſius dirutæ Albæ reliquiis, conflatum fuit oppidum antiquum Veteris Latii *Bovillæ*. Veteris inquam Latii; de hoc enim nobis ſermo; cum ceteroquin etiam in Novo Latio, ſive Campania, oppidum *Bovillæ* nomine fuiſſe, & modo etiam exſtare, non ignoremus; in Hernicis, Fruſinonem inter & Soram, Verulanæ ſacræ ditionis, vulgo *Baúco*. Cui etiam nonnulli male admodum aptare conati ſunt quæ auctores de ſuburbanis Latii Veteris Bovillis memoriæ prodiderunt. Hæ, ad Decimum ab Urbe Lapidem, Via Appia, ſignantur in Vetuſta Itineraria Tabula; vocanturque *Bobellæ*, ſic: *Roma, Via Appia, Bobellas X. Aricia III.* Itinerarium vero Hieroſolymitanum, loco *Bovillarum*, notat *Ad Nono* ſive *Nonum*, ſic: *Urbe Roma Ad Nonum IX. Aricia & Albano VII.* Ex quibus ſuſpicor, tempore quo Itinerarium idem editum eſt, Bovillas oppidum ex-

exciſum jam fuiſſe, & in ejus ruinis diverſorium tantum ad equos mutandos exſtitiſſe, nono ab Urbe Lapide; ex quo etiam nomen *Ad Nonum* traxerit. Itaque Bovillas oppidum juxta Viam Appiam, dextrorſum Roma Capuam euntibus, nonum inter & decimum Lapidem conditum fuiſſe didicimus. Quamvis enim Holſtenius de hujus oppidi ſitu, Cluverio, ut aſſolet, videatur obſtrepere, ad decimum Lapidem, juxta Vetuſtam Itinerariam Tabulam, idem oppidum collocanti; cum e contrario ipſe Holſtenius ad nonum Lapidem Bovillas fuiſſe contendat: nihilo tamen minus utrique convenire facile poſſe mihi videtur; ſi Bovillas ad Lapidem plus minus nonum, ſive nonum inter & decimum, Via Appia conditas aſſeveraverimus. Quod ex veterum teſtimoniis multis confirmatur. memorantur namque Bovillæ non paucis ſcriptoribus. Quos inter, Ciceronis interpres Pedianus *a* aliique de P. Clodii cæde a T. Annio Milone ipſi illata locuti. Et Pedianus quidem, *Milo*, inquit, *Lanuvium profectus eſt. Occurrit ei circa horam nonam Clodius, paullo ultra Bovillas, rediens ab Aricia; prope eum locum in quo Bonæ deæ ſacellum eſt*. Paulloque poſt: *Clodius vulneratus, in tabernam proximam Bovillanam delatus eſt*. & poſtea: *Milonem cum ſervis amplius trecentis armatis obviam ei contendiſſe: & ſupra Bovillas, inopinantem, in itinere adgreſſum; ibi P. Clodium tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum; tabernam in quam profugerat, expugnatam a Milone: ſemianimum Clodium extractum, in Via Appia occiſum eſſe*. Breviator Livii libro centeſimo ſeptimo: *P. Clodii a Tito Annio Milone candidato Conſulatus, in Appia Via, ad Bovillas occiſi, corpus plebs in Curia cremavit*. Et Vellejus: *b P. Clodius a Milone candidato Conſulatus, circa Bovillas, contracta ex occurſu rixa, jugula-*

a *Aſcon. Pedian. in Milonianam.*

b *Lib. 2*

tus est. Expressius quoque his omnibus rationem modumque cædis designans Appianus, *c Quum Clodius*, inquit, *e villa sua in Urbem equo rediens, circa Bovillas, Miloni occurreret; parum amico adspectu ipsi sese præterierant: ceterum, Milonis servus invasit Clodium; sive jussu, sive ut inimicum domini tolleret; eique gladio vulnus inflixit in occiput. quem cruentum curator equi servus detulit in proximum diversorium, quo mox accurrens Milo cum suis, incertum, spirantem adhuc, an exanimum, confecit*. Holstenius vero situm oppidi Bovillarum adhuc distinctius designare *d* constituens, existimavit, omnino Bovillas fuisse eo loco ubi nunc est diversorium vulgo *l'Osteria delle Frattocchie*, sive *i Fratocchi*, ut ipse ait; ubi Appia Via ex planicie Agri Romani in Collem Albanum ascendere incipit. Hic passim ædificiorum antiquorum vestigia ad utrumque viæ latus conspiciuntur. Inde uno milliari, Romam versus, tumuli ingentes exstant sepulcrorum; quorum uni rotunda turris inædificata cernitur. Exit hinc divertigium viæ veteris silicibus stratæ, versus Viam Latinam. unde colligebat Holstenius, hunc esse locum ipsum qui in Hierosolymitano Itinerario signatur, *Ad Nonum*. Quod rursus confirmari posse existimavit ex eo, quia ad idem diversorium *i Fratocchi* incidit divertigium veteris viæ silicibus stratæ, ex Ardeatina; quam ipse a prædio Falconiano Barberinæ Gentis, continuo ductu, hucusque pertingere observavit. Quid tamen tot notis opus, in re satis prona per se ac perspicua? Scilicet urbana, summæniana, & suburbana Bovillarum oppidi ædificia spatium occuparunt noni, & decimi Lapidis, & octavi quoque aliquid. Num incredibile hoc? præsertim cum e ruderibus adhuc exstantibus, & ex literis veterum scriptorum

qui

c *Lib. 2. Bellor. Civil.*

d *in Not. ad Cluv. pag. 918.*

qui de Bovillarum ædificiis meminerunt, idem ſatis confirmetur atque adeo evincatur. Sed Holſtenio demum propoſitum fuiſſe videtur in Cluverianis ſcirpis aliquem ſemper nodum inquirere; &, ut quidem ſibi videbatur, invenire. Illud potius trutina expendere debuerat Holſtenius, quomodo, ſcilicet, locus ubi nunc Diverſorium Publicum, *Le Frattocchie*, antiqui Bovillarum oppidi ſedi congruere poſſit; cum locus hic ex milliariis Lapidibus in Via Albana conſtitutis, & modo exſtantibus videatur manifeſte ad milliarium Lapidem undecimum ab Urbe eſſe; Bovillæ autem fuerint ad Lapidem nonum, &, ad ſummum, decimum. Cui tamen difficultati nos reſpondebimus; Albanam præſentem Viam, aliam, magna ex parte, eſſe ab antiqua Appia, quam multo rectiori ac proinde breviori tramite directam fuiſſe, conſpicuis e veſtigiis adhuc ſuperſtitibus ſatis apparet: rurſumque ipſam Appiam Albanum euntibus dextrorſum ſæpius relinqui disjectam. Quamvis ad ipſum Diverſorium *Le Frattocchie* una eadem cum Albana recenti ſit. De nomine Bovillarum ita tradit Nonius Marcellus: [e] *Hillas inteſtina veteres dixerunt. unde* Bohillæ. *unde oppidum in Italia; quod eo bos inteſtina ex vulnere trahens advenerit.* Et Raderus noſter, interpres ille Martialis in paucis egregius, *Bovillæ*, inquit, *dictæ ſunt a boum multitudine, quaſi* boum villa; *mendicorum ſtatio; ibi enim ſtipem colligebant. Vicus olim Latii pauper, Via Appia; ad quem, Pediano teſte, occiſus eſt a Milone Clodius.* Quamquam vero Raderus, qui bene reliqua, unde hanc originem nominis *Bovillæ* deſumſerit, minime prodat; quam ob cauſſam illum videtur Cluverius carpere; ejus tamen vel ſolam conjecturam, (ſi tantum eam originem conjectavit) improbare non

[e] Cap. 11.

auſim. Quid enim facilius, quam, nomen a *bove* inflexum ex ipſis *bovibus*, *bobus*, ſeu *bubus* vere originem traxiſſe? Certe in patrio Patavino Agro (ut cetera prætermittam id genus, quæ infinita adduci poſſent) pagi ſunt duo *La Boara* dicti, & alter *Bovolenta*, quos a *bove* & *bobus* nomen traxiſſe nullus addubito. Quando autem in origine nominis quod antiquitus hoc oppidum *Bovillæ* habuit, inveſtiganda ſumus; non omittam, recens ejus loci nomen, non eſſe *i Fratocchi*, ut vult Holſtenius, malus Italorum vernaculorum nominum deſcriptor, ac fortaſſe etiam dum viveret, pronuntiator; verum *Le Frattocchie*. Non enim, ut quidam putant, derivatur hoc nomen a *fratre* vel *fratribus*, ſed ab alio Italico vulgato *la fratta*, *le fratte*, quod idem eſt ac *ſepes*. Derivarunt enim id nominis Itali recentiores ab Græco Attico φράττω, quod eſt *cuſtodio*; & φράγτεα, quod eſt *cuſtodia*, *ſepes*, *ſepimentum*. Quia igitur in veterum Bovillarum ruderibus, agri & vineæ circumdatæ ſunt non continuis quidem ſepibus e vivo ceſpite compoſitis; ſed e ſepibus partim, partim vero antiquorum ædificiorum macerie, ideo locum *Ad parvas ſepes* vocarunt; hæ namque Italorum præſenti ſermone ſunt *Le Frattocchie*. Quod vocabulum duplici *tau*, juxta Græcam originem, ſcribi debet. Idemque dici de loco in urbe Roma *Sant' Andrea dalle Fratte*, ita appellato, quia ſepes ibi olim multæ, utpote in ſpatio ab ædificiis vacuo, ad cuſtodiendos hortos conſitæ fuerant.

Ceterum, Bovillarum oppidi antiquitatem atque adeo quondam potentiam deſignaſſe videtur Florus, his verbis, *f* de Romanæ Reipublicæ exordiis locutus. *Hactenus pro libertate: mox de finibus cum eiſdem Latinis adſidue & ſine intermiſſione pugnatum eſt. Sora (quis*

f *Lib.* I. *c.* II.

cre-

tredat?) *&* *Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciæ. De Verulis &* *Bovillis, pudet, sed triumphavimus.* Neſcias tamen, utrum vere de ſuburbanis noſtris Bovillis hic ſit Florus intelligendus. quamquam enim de Latinis loquatur; etiam Bovillæ Campanæ intra Novi Latii fines fuerunt. Adde quod loca illis Bovillis confinia & vicina ibidem conjungit Soram & Verulas. quamvis & Satricum & Algidum nominaverit, loca Bovillis ſuburbanis proximiora. Quando tamen Bovillani ſuburbani cum Romanis prœlio conflixerint; Romanique de illis triumphaverint potiſſimum, non invenio. Itaque ſuper hoc Flori teſtimonio quid ſtatuam certi, non habeo. Illud quidem noſtras haſce ad Bovillas pertinet, earumque antiquitatem certo deſignat, quod Ovidius de anu Bovillana, nomine g Anna, tempore ſeceſſionis plebis a Patribus in Montem Sacrum, narravit; uti Annæ Perennæ feſtum & numen explicaret:

g *Faſtor. L. 3.*

Hæc quoque, quam referam, noſtras pervenit ad aures
Fama; nec a veteri diſſidet illa fide.
Plebs vetus, & *nullis etiamnum tuta tribunis,*
Fugit; & *in Sacri vertice Montis erat.*
Jam quoque quem ſecum tulerant, defecerat illis
Victus, & *humanis uſibus apta Ceres.*
Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bovillis,
Pauper, ſed multæ ſedulitatis anus.
Illa, levi mitra canos incincta capillos,
Fingebat tremula ruſtica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane ſolebat
Dividere. hæc populo copia grata fuit.

Ferunt, Bovillas atque Labicum oppida fuiſſe, a Græcis, Thebanis, Argivis, atque Trojanis condita. quod refert Ligorius; apud quem tamen de hoc fi-

des

des esto. Bovillani se ab Albanis oriundos esse, professi videntur in prisco eorum Lapide, quem infra proferemus. in eo enim se *Albanos Longanos Bovillenses* nominant. Quod verisimillimum judicaverim. Hoc enim factum videmus quamplurimis locis, ut, veteri aliqua magna urbe excisa, qui residui superfuerunt incolæ, alii longius, alii propius excisæ locum, sedes transtulerint. Certe Capuani, vetere Capua excisa, quæ nunc *Santa Maria di Capua* dicitur, Casilinum plurimi, intra tertium Lapidem, commigraverunt. quam hodie urbem *Capuam*, ex communi scriptorum sententia, appellamus. Sic Tusculani, quamquam excisо Tusculo, in Algidensem alii, nunc *Rocca Priora*; Molariam nonnulli oppidum modo excisum, loco qui *l' Osteria della Molara*; alii demum alio concesserint; plerique tamen ex pauperioribus, propius excisam patriam, novas sedes fixerunt. loco qui nunc *Frascati* ex subitariis casulis de frondentibus ramis arborum excitatis, quos Itali vocant *frasche*, & tugurium ex illis compositum *frascato*. Unde & externorum ab Italia scriptorum error notatur, qui id oppidum non *Frascati* sed *Frescati* ab frigore opportuno, quod Italis est *fresco*, male, & ex suo tantum ingenio, derivatum scribunt atque pronuntiant. Idem itaque Bovillis factum fuisse, mirum non esset. Si nempe Albani, excisa Alba, non omnes Romam, ut Tullus Hostilius Romanorum rex optionem dederat, verum in locum ubi postea Albanum Pompeji, aliqui; alii alio; nonnulli etiam ad decimum circiter Viæ Appiæ Lapidem commigraverint; ibique novum oppidum excitaverint, quod *a bovis hillis*, seu *boum* multitudine, ut narratum est, *Bovillas* dixerint. Jam vero, nomen oppido non tantum *Bovillæ*, sed sequioribus

bus ſæculis etiam *Bobellæ*, & Græcis auctoribus *Boillæ*; denique, ſi originem vocabuli altius inſpexeris, *Bohillæ* cum adſpiratione. Incolæ, *Bovillani*, ut plurimum; quamquam & *Bovillenſes* aliquando dicti ſunt. Licet autem Ciceronis ætate, ac deinceps multo magis, Bovillæ deſertæ ferme fuerint a populo; & exigui nominis ſuburbanum municipium evaſerint; primis tamen Romanæ Reipublicæ ſæculis, inter primarias Latini nominis urbes computatas etiam Bovillas, apud Dionyſium legimus. Cujus antequam teſtimonium proferamus; Plutarchi primum in Marcio Coriolano aliud recenſebimus; ex utroque enim, quam quærimus, veritatem manifeſtabimus. Plutarchus itaque in Coriolano, *Ita Marcius*, inquit, *exercitum ad ipſas urbes ducens, Tollerienſes, Vicellenſes, Pedanos; ad hæc Bolanos, cum mœnia defenderent, vi cepit; homines in prædam redegit; bona eorum diripuit. Qui vero ad eum deſciviſſent, horum magnam egit curam: atque ut ne invito quidem ſe aliquid paterentur detrimenti, quam remotiſſime ab eorum finibus caſtra habuit; agriſque eorum abſtinuit. Poſtquam vero Bollas quoque oppidum, non plus centum ſtadia ab Roma diſſitum cepit; ingenti præda potitus omnes propemodum puberes interfecit.* Hic legendum non *Bolas* ſed *Boillas*, cum Cluverio putamus. Nonne enim hoc eodem teſtimonio, poſt Pedanos, Bolanos expugnatos ſupra narravit auctor? quomodo ergo hic rurſum *Bolas* oppidum a Coriolano captum ſtulte repeteret? Rurſum *Bola* ſingulari numero fuit oppidum appellatum, a quo incolæ *Bolani* dicti ſunt, juxta illud Virgilii: *h*

h Æn. 6.

Hi tibi Nomentum, & Gabios, Bolamque, Coramque.

at *Bovillæ* ſemper multitudinis numero. *Bola*, cum uno tantum *lambda*: *Bovillæ* vero cum duobus. Itaque hoc loco Plutarchi βίλλας corruptum eſt ex βοΐλλας, quod

quod reſtituimus, ut debet; legimuſque *Boillas*. Cui lectioni demum congruet diſtantia ſtadiorum non plus centum; ſi Plutarchum, non quidem, quantum expreſſe diſtarent ab Urbe Bovillæ, ſignificare voluiſſe, dixerimus; diſtabant enim ſtadia circiter octoginta tantum: verum vicinitatem urbis Romæ innuiſſe, locutione uſitata, perinde ac ſi dixiſſet; tam prope Romam Coriolanus oppida capiens perrexit, ut ipſas Bovillas, oppidum intra centum ſtadia Roma diſtans, vi ceperit. Verum Plutarchi interpres, qui βόλλας, *Bollas* vertit, fidem videtur ſecutus exemplarium Halicarnaſſenſis Dionyſii, apud quem de eodem Marcio ſic *i* ſcriptum eſt: *Ab Coriolis porro exercitum admovit ad Bolas: quod oppidum & illuſtre tunc erat, & una e paucis admodum Latini nominis urbibus primariis. Pugnatum eſt circa hoc acriter. quippe Bolani non modo a mœnibus hoſtem arcebant; ſed etiam apertis portis confertim prorumpentes, adverſos magna vi per declivia propellebant.* Recentior tamen Dionyſii interpres βώλας & βωλανοὶ vertit *Bovillas* & *Bovillani*. Et ſane quiſnam prudenti dubio jam locus, num legendum βοΐλλας, & βοϊλλανοὶ, quum jam antea Dionyſius narraverit, Marcium a Circæis cepiſſe πολεείνους καὶ βωλανούς, *Tolerinos* & *Bolanos*. Poſt quæ oppida Labicos deinceps, Pedum, Corbionem, Coriolos, & tandem haſce βοΐλλας *Bovillas*, Coriolis maxime vicinas, ut conſtat, noſque infra in Libro de Aricinis oſtendemus, petivit. Tandem apud Stephani Breviatorem a nobis reſtituta Dionyſii lectio, diſerte ſic confirmatur: βοΐλλαι πόλις Λατίνων. Τὸ ἐθνικὸν βοϊλλανός. ὡς Διονύσιος ἐν ὀγδόῳ τῆς Ρωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. ideſt: *Boillæ oppidum Latinorum. Gentilitium* Boillanus. *ſicuti Dionyſius in octavo Romanæ Antiquitatis.* Poſtea vero Breviator idem ſic habet: βῶλα πόλις Ἰταλίας. Τὸ ἐθνικὸν βωλανοί. ſcilicet: *Bola*

i *Lib.* 8.

la oppidum Italiæ. Gentilitium, Bolani. Certum igitur maneat, Plutarchum & Dionyſium allatis hucuſque teſtimoniis nominaſſe βοΐλλας *Bovillas*. Neque ulli negotium faceſſat, in hac amplectenda lectione, atque adeo veritate, quod Dionyſius κατὰ τὰς φάραγγας *per declivia*, de Bovillis noſtris locutus nominaverit, cum hæ in planicie Viæ Appiæ fuerint conſtitutæ; quod tantillum hæſitans obſervavit Cluverius. Memineri-mus enim omnes, circa nonum Lapidem, ubi initium Bovillarum, teſte Holſtenio, Appiam adſcendere ex ſuburbana Romæ planicie. Quare ergo fortes Bovillani Marcii exercitum uſque ad hæc declivia tam proxima eorum urbi, deſcenſum ſcilicet Appiæ Viæ, protrudere ac propellere non potuerint? Ceterum, ex Plutarchi teſtimonio hactenus explicato, copioſam urbem Bovillas olim fuiſſe colligimus; utpote quæ Marcii Coriolani exercitum ingenti præda ditavit: fortes juvenes cives eamdem habuiſſe, ejuſdem ex teſtimonio cognoſcimus; quos nimium veritus Coriolanus, omnes puberes interfecit. Ex Dionyſio autem diſcimus, Bovillas Latini nominis urbem cum paucis primariam antiquitus exſtitiſſe, & illuſtre oppidum. Certe, quod ad copiam urbis, & agri felicitatem, incolarumque Bovillanorum divitias attinet; hæc vel ex ipſo Annæ Bovillanæ facto in ſuperioribus narrato, ex Ovidio colligi poſſunt. Quomodo enim Anna Bovillana Romanam plebem libis quotidie paſcendam ſuſcepiſſet; niſi largis divitiis affluxiſſet; quas licet ipſa de ſuo non haberet, cum *pauper* ab Ovidio dicatur; colligebat tamen a Bovillanis ſuis municipibus, cum eſſet multæ ſedulitatis anus. Certe tantæ multitudini Romanæ plebis copiam potuit hæc Annæ Bovillanæ liberalitas facere & abundantiam, in ſumma

annonæ inopia. Unde &, pro ingenti ſuſcepto beneficio, Romana plebs hanc feminam immortalitati voluit conſecrare; ſtatuam illi publice dedicando. quæ quia perennis futura eſſe credebatur, idcirco hæc *Anna Perenna*, quorumdam ex opinione, quaſi dea quædam culta fuit. Quamvis multas de Anna Perenna ſententias, ſcilicet, quodnam ea numen fuerit apud veteres, in noſtro de Laurentibus Libro ſatis jam expoſuerimus.

Celebres etiam fuere Bovillæ propter ſacrarium gentis Juliæ, quod ibi conſtructum erat; in quo imagines majorum ejus gentis aſſervabantur. De illo Tacitus: *k Sacrarium genti Juliæ effigieſque divo Auguſto apud Bovillas dicantur*. In hoc ſacrario, quotannis, ejuſdem Taciti teſtimonio, ludicrum Circenſe, & ſupplicationes divis Julio & Auguſto Cæſaribus ſolemni pompa fiebant: Senatuſque ipſe Romanus, huc ſeſe conferens, hiſce ſacris intererat. Majorum Juliæ & Octaviæ gentis, quæ poſtea *Julia* dicta eſt & ipſa, imagines thenſis, ſive ſacris ſoliis, aut curribus, geſtabantur; & laudes eorum canebantur. Verba Taciti: *Decretum :::::: ludicrum Circenſe, ut Juliæ genti apud Bovillas, ita Claudiæ Domitiæque apud Antium haberetur*. Hujus ludicri & feſti pompam in noſtro de Antiatibus Libro fuſe deſcripſimus. Hinc lumen Suetonio ajenti in Auguſto: *l Corpus Decuriones Municipiorum, & Coloniarum a Nola Bovillas uſque deportarunt: a Bovillis Equeſter Ordo ſuſcepit, Urbique intulit*. Quare enim Auguſti corpus tota nocte Bovillis cuſtoditum fuerit, ibique ſuſceptum ab Equeſtri Ordine? cum tamen vicina ſubeſſet Aricia, materni Atiorum generis Auguſti patria; in qua opportunius id fieret? Propter hoc ſcilicet; quia Bovillis ſacrarium erat genti Juliæ, in quam adoptatus fuerat Auguſtus.

k *Lib.* 2.

l *Cap.* 100.

ſtus. Itaque ad hujus ſacrarii, & ſacri, & ludicri Circenſis uſum, Circus fuit, & templum divis Julio & Auguſto dedicatum: & ædificia alia permulta, quorum rudera merito tantum ſpatii occupare potuerunt, quantum nono ac decimo milliario Appiæ Viæ comprehenderetur. præcipue cum Bovillano oppido continuarentur. Quod tamen, jam inde ab Ciceronis ætate, deſertum fere penitus ab incolis fuiſſe, Tullii ipſius teſtimonio diſcimus. Is enim in Oratione pro Plancio ita Laterenſem municipem Tuſculanum alloquitur: *Niſi te forte Lavicana, aut Bovillana, aut Gabina vicinitas adjuvabat; quibus ex municipiis vix jam qui carnem Latinis petant, inveniuntur.* Quibus conſona Propertius cecinit: *m*

m *Lib.* 4. *Eleg.* 1.

Quippe ſuburbanæ, parva minus urbe, Bovillæ,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabî.

Civilium bellorum furiis harum urbium ruinam Lucanus *n* tribuit. & merito quidem. Quamquam & incrementa vicinæ Romæ ſuburbanorum decrementa oppidorum fuere; quantum quidem ad nobilitatem, frequentiam, atque potentiam pertinet. nam ad amœnitatem quod ſpectat, hæc ſuburbanis locis, Romanæ urbis potentia, atque opibus creſcentibus, ſimul accrevit. Magnificentiſſimis enim villis ubique conſtructis, atque omni deliciarum genere refertis, Romani lautiſſimi univerſa hæc circa Urbem loca celebravere. Ceterum, ex Tullii teſtimonio, Bovillas Municipium fuiſſe, conſtat; & Latini nominis, utpote quod ad ſumendam carnem, ſeu viſcerationem, cum ceteris Latii populis, Latinis Feriis in Albano Monte celebratis conveniret. Coloniam quoque aliquando Bovillas deductam ab Lucio Sulla Dictatore, Frontinus memorat. Libro enim de Coloniis, *Bovillæ*, inquit, *oppidum Lege Sullana eſt circumductum*,

n *Lib.* 7.

ſcilicet *muro circumdatum*. quod fiebat, aratrum circumducendo, & foſſam vomere deſignando ubi mœnia fundarentur. Cicero rixam Milonem inter & Clodium apud Bovillas coortam, in qua Clodius eſt interfectus, *pugnam Bovillanam* per jocum appellavit. *o* Namque ad Atticum ſcribens, *Epheſum*, inquit, *venimus ad XI. Kalend. Sextiles; ſexageſimo & quinto poſt pugnam Bovillanam. Navigamus ſine timore & ſine nauſea*. Suburbia Bovillana villis frequentiſſimis ornata fuiſſe, non dubitamus, quorum ingentia adhuc rudera conſpicua ſunt. nos tamen inter Albanas villas, quod in Agro olim Albano Bovillæ forent, eas computavimus. Fundum quidem Quinti Ciceronis fratris ſui, apud Bovillas, Tullius expreſſe nominavit. *Fundum, audio, te hunc Bovillanum velle retinere*. Bovillas locum fuiſſe ubi primum ab viatoribus Roma per Appiam iter facientibus equi mutari ſolerent, Martialis ſignificavit, de veredario lento ac pigro locutus: *p*

Et cum currere debeas Bovillas,
Interjungere quæris ad Camœnas.

Perſius autem cum Virbii clivo ſimul comprehendit; velut ſi Bovillæ, Perſii ætate, qui ſub Nerone vixit, receptaculum mendiculorum, non minus ac Virbii clivus, evaſiſſent: *q Accedo Bovillas Clivumque ad Virbî*. Tacitus quoque Bovillas ut Urbi vicinas *r* nominavit: *Præmiſſi Ariciam equites. agmen legionum intra Bovillas ſtetit*. Apud Bovillas templum ſive ſacellum Bonæ deæ fuiſſe, diſcimus ex Cicerone *ſ* ejuſque interprete Aſconio. Siquidem, his auctoribus, Clodius primum vulnus a Milonis ſervis accepiſſe traditur, circa Bovillas, ad ſacellum Bonæ deæ, in prædio T. Sextii Galli. quod Cicero non caſu factum exiſtimavit; verum juſta ejus numinis ultio-

ne

o *Lib.* 5. *Ep.* 13.

p *Lib.* 2. *Ep.* 6.

q *Satyr.* 6.

r *Hiſtoriar. L.* 4.

ſ *Pro Milon.*

ne in impium Clodium, ejuſdem violatorem, animadverſum. Siquidem Clodius, impotentiſſimæ homo incontinentiæ, veſte muliebri occultatus, inter ſacra Bonæ deæ, quæ ſolis mulieribus celebrabantur, ad ſuas explendas libidines irrepſiſſe deprehenſus fuerat. Hujus ſacelli Bonæ deæ dedicati, prope Bovillas, veſtigia putavit Holſtenius exſtare adhuc, quingentis circiter paſſibus ultra diverſorium *Le Frattocchie*; ubi primum aſcenſus incipit clivi Albani. Hæc dea Bona, *Fauna* quoque, *Fatua*, & *Senta* dicta fuit a Priſcis Latinis. & Jani aliis, aliis vero Numæ uxor exiſtimata. Quæ tantæ pudicitiæ, Varronis teſtimonio, fuiſſe perhibetur, ut illam nemo umquam, præter virum, mas viderit; nec nomen ejus audierit. idcirco *Bona*, propter excellentiam pudoris, vocata. Quare mulieres tantum, ſummotis religioſiſſime viris, illi in operto ſacrificabant. [t] Ejus etiam ſacrificia fiebant per virgines Veſtales, in domo Pontificis maximi, pro ſalute Populi Romani. Ceterum, huic deæ apud ſacellum Bovillanum, de quo nunc agimus, puellæ ſigillaria, pupas ac pilas, ſcilicet imagunculas, ex varia materia offerebant ex voto, ut felix illis conjugium, quale ipſa ſortita fuerat, concederet. Quin &, amictu depoſito, puellæ eædem in Bonæ templo diſcurrere conſueverant, deæ rem gratam ſe facturas, putantes. quæ potiſſima ab iis ſacris arcendorum virorum fuit cauſſa. Votum puellare exhibet Lapis circa Bovillas, adeoque Bovillanum Bonæ ſacellum, effoſſum his notis: [u]

t *Cic. de Aruſpic. reſponſ.*

u *Thomaſin. de Donariis C.* 13.

BO-

BONAE. DEAE
SANCTAE
SACR
VOTO. SVSC
MERITO. LIBENS
TERENTIA
THALLVSA
FECIT

Utrum autem de Bovillana hac Bonæ ara interpretandus ſit Lapis alter, quem Thomaſinus pariter cum allato adducit, affirmare non auſim. cum locum ubi hic erutus fuerit, ille non proferat. Lapis ſic habet: *x*

x *ibid.*

VOTO. SVSCEPTO
BONAE. DEAE
ASTRAPTON. CAESARIS. VILIC
AEDICVLAM. ARAM. SEPTVM. CLVSVM
VETVSTATE. DIRVTA. RESTITVIT.

In ædem quoque hujus deæ, ut ſeſe ornarent, mulieres ambitioſæ formæ frequenter ſe conferebant; ut fucata ornamenta, adſcititioſque crines, quibus miſeros amatores ſuos fallerent, clam illis aſſumerent; juxta Naſonis præceptum: *y*

y *De Art. Lib.* 3.

Quæ male crinita eſt, cuſtodem in limine ponat;
Orneturque Bonæ ſemper in æde deæ.

Plura de hoc numine differere parcimus; non ignorantes tamen, multiplicem de illius nomine, cultu, & ſacris vagari fabulam: ac pro partubus illi præcipue ſupplicatum. quod eadem aliquando cum Junone Lucina haberetur.

Porro in veterum Bovillarum ruinis plures Publio Sufenati Inſcriptiones poſitæ detectæ ſunt; quarum

rum tres [z] eruditissimus Fabrettus diligenter recensuit, atque explicavit. Eæ sic habent:

[z] *Inscript. Cap. 6. pag. 456.*

1.

P. SVFENATI. P. F. PAL. MYRONI
EQVITI ROMANO. DECV
RIALI SCRIBARVM. AEDILI
VM. CVRVLIVM. LVPERCO. LAVRENTI
LAVINATI. FRETRIACO. NEAPOLI. ANTI
NOITON. ET EVNOSTIDON. DE
CVRIONI. IIII. VIRO. ALBA
NI. LONGANI. BOVILLEN
SES. DECVRIONES. OB. ME
RITA. EIVS. L. D. D. D.

2.

P. SVFENATI. P. F.
PAL. SEVERO. SEMPRO
NIANO. DECVRIALI
SCRIBARVM. AEDILIVM CVRV
LIVM. FRETRIACO. NEAPOLI. EV
NOSTIDON. DECVRIONI. ET
SACERDOTI. APOLLI
NIS. ALBANI. LONGA
NI. BOVILLENSES. DE
CVRIONES. OB. MERI
TA SVFENATIS. HER
METIS. PATRIS. EIVS
L. D. D. D.

3.

P. SVFENATI. P. F. PAL
MYRONI
EQVITI. ROMANO. DECVRI
ALI. SCRIBARVM. AEDILIVM
CVRVLIVM. LVPERCO. LAVREN
TI LAVINATI. FRETRIACO. NE
APOLI. ANTINOITON. ET. EV
NOSTIDON. DECVRIONI
IIII. VIRO. ALBANI. LON
GANI. BOVILLENSES
MVNICIPES. OB. MERI
TA. EIVS. L. D. D. D.

Ex

Ex his, primum omnium ſatis conſtat, Bovillanos, qui & Bovillenſes hic dicuntur, ſeſe ex Albanis oriundos profiteri voluiſſe. quod nempe Albanorum pars, Alba Longa diruta, Bovillas oppidum, prope locum exciſæ Albæ, vel condiderit primo, vel certe ampliaverit. unum enim & eumdem populum Bovillanum exprimunt tria hæc nomina *Albani*, *Longani*, *Bovillenſes*. Ceterum primus Lapis idem prorſus cum tertio eſſet; niſi in hoc vox *Municipes*, quæ in primo deſideratur, addita eſſet. Ex qua, Bovillas Municipium fuiſſe, confirmatur. Lupercos pariter Lauro Lavinii fuiſſe, nos docent Lapides. de quorum ludis ac ſacris ſæpius nos in Libro de Lanuvinis diſſeruimus. Decuriones item Bovillis fuiſſe, diſcimus; quorum decreto locus datus eſt Statuis Publio Sufenati apud Bovillas erectis; in quarum baſibus hæ Inſcriptiones fuerunt inciſæ. hoc enim ſignificant notæ illæ: L. D. D. D. *Locus datus Decurionum decreto*. Vocem vero FRETRIACO interpretatur Fabrettus, *Sodali*. ſcilicet, quod Collegia ſacerdotum, in Græcis urbibus *Fratriæ* Φράτριαι dicerentur. Publium itaque Sufenatem, ſodalem fuiſſe, Neapoli, ſacerdotum Antinoi, & Eunoſti; qui per ſummam adulationem, inſtar numinum, Græcis in urbibus, qualis olim Neapolis, colebantur. Antinoum namque, Hadriani Cæſaris forte exoletum, nemo neſcit; cui tamen & urbem cognominem in Ægypto, & nummos, & aras, & templa, & ſacra, & ſacrorum Collegia Cæſar ipſe, & peſſimi ejus adulatores dedicaverunt. De Eunoſto autem, Tanagræ Bœoticæ culto, Plutarchus quæſtione quadrageſima Rerum Græcarum meminit; ejuſque caſtitatem celebrat. Quæ ſi vera forent; male profecto Eunoſtus cum Antinoo, ſuſpectæ certe, ut

mi-

minimum, pudicitiæ adoleſcente, in ſacris conjungebatur. Plura hiſce ſuper Lapidibus exquirentes Fabrettum ipſum conveniant, ſingula fuſe atque erudite illorum elementa interpretatum.

Ceterum, Bovillis, Scænicos ludos celebratos in Theatro, & Statuam L. Acilio Archimimo ibidem poſitam ab Decurionibus Bovillanis, Lapis, Marini, in ſcalis ædium Columnenſium loci dominorum proſtans, non longe erutus, teſtimonio eſt. Ex quo pariter quamplurium Bovillenſium Adlectorum nomina licet cognoſcere. Illum non ſemel Gruterus attulit; verum aliis locis mutilum. integrum vero, Inſcriptionum pagina milleſima octogeſima nona. Qui ſic habet:

L. ACILIO. L. F. POMPT. EVTYCHAE
NOBILI. ARCHIMIMO. COMMVN. MIMOR
ADLECTO. DIVRNO. PARASITO. APOLL. TRAGICO
COMICO. PRIMO. SVI. TEMPORIS. ET OMNIBVS
CORPORIB. AD. SCAENAM. HONOR. DECVRIONI. BOVILLIS
QVEM. PRIMVM. OMNIVM. ADLECT. PATRE̅
APPELLAVERVNT
ADLECTI. SCAENICORVM. EX. AERE. COLLATO
OB. MVNERA. ET. PIETATEM. IPSIVS. ERGA. SE
CVIVS. OB. DEDICATION. SPORTVLAS. DEDIT
ADLECTIS. SING. X-. XXV. DECVR. BOVILL
SING. -X. V. AVGVSTAL. SING. -X-. III.
MVLIER. HONOR. ET. POPVLO. SING. X-. I
DEDIC. III. IDVS. AVG. SOSSIO. PRISCO
ET. COELIO. APOLLINARI. COS. CVRATORE
Q. SOSIO. AVGVSTIANO

Sequitur ordo Adlectorum. Et dextro quidem latere sic:

Ælius. Trophimi
Ælius. Latinus
Ælius. Eutyches
Ælius. Trophimus
Diasemius. Plebejus
Selinius. Lupercus. Sen
Æglius. Aglaus
Ælius. Lascivos
Pompejus. Alexander
Curtius. Pontius
Ulpius. Justus
Annius. Ferox. Sen
Ulpius. Candidus
Veturius. Celsianus
Ælius. Primigeni
Plautius. Receptus
Ælius. Hylas
Cæsernius. Secundus
Valerius. Eutychian
Petronius. Favor
Ulpius. Saturnin
Sosius. Augustian
Pomponius. Quadrat
Selinius. Lupercus. Jun
Neusonius. Clarianus
Postumius. Palatinus
Volumnius. Faorabil
Ælius. Urbicus
Ælius. Natalis
Ælius. Aprilis.

In sinistro vero inscripti Lapidis latere sic:

Dasimius Carus
Ælius Suavis
Lucius Sabinus
Atilius Adlectus
Ulpius Amaranthus
Flavius Naicus
Labienus Fabianus
Curtius Augustal
Bisinius Felix
Ælius Isochrysus
Julius Troilus
Valerius Canusinus
Arrecinus Priscianus
Annius Ferox. Jun
Aurelius Euhodus
Aurelius Atalus
Valerius Quinalis
Aurelius Selicius
Aurelius Cliriolus
Aurelius Romulus
Mindius Flaus
Pomponius Sascianus
Fabius Patritius
Julius Corymbus
Flavius Candidus
Aurelius Plebejanus
Julius Urbanus
Plancius Mucianus
Aurelius Cioluſanus
Avidius Fatalis

Scaliger pro *Adletus* legit *Adlectus*, & pro *Quinalis*, *Quirinalis*. Porro, præclaro ex hoc Marmore, viguisse Bovil-

villis Scænam intelligimus, & ſummo in pretio ſcænicos ludos, eorumque actores habitos fuiſſe; ibidemque Apollinis templum, & Auguſtalium Collegium exſtitiſſe.

Alia quoque publica ædificia Bovillis olim exſtantia memorat Lapis alius, apud Fabrettum, circa Bovillarum ruinas detectus; quem ex ipſo ſic damus: *a*

a *Inſcript. C. 6. pag. 463. Marini in Vinea Bevilacqua.*

FAVSTO C. - - - - - - - - - -
SEX T. - - - - - - - COS
L. CORNELIVS A. F. FA. VPILIVS
VT CVM M. IVNIVS
SILANI L. MONIMVS EX
ORDINE SIT NOSTRO ET
VTILIS REIPVBLICAE
ET AMATOR MVNICIPI. MVNERAQVE EIVS
MVNICIPIO CONSPICIAMVS
CENSEO LOCVM QVI EST EXTRA
PORTAM. MEDIANAM. AB
EO. LOCO. IN. QVO. SCHOLA
FVIT. LONG. P. LXVII. AD
RIVOM. AQVAE. ALBANAE. ET
A. VIA. INTRORSVS. IN. QVO. ANTEA
COLVMNAR. PVBLICVM
FVIT. LAT. P. X. HONORIS. CAVSSA
M. IVNIO. SILANI. L
MONIMO. POSTERISQVE. EIVS. DARI.
TVM. VNIVERSI. CVM. M. IVNIVS
SILANI. L. MONIMVS. IN. ARA. ET
MVNICIPIO. ET. REIP. SIT
VTILIS. ET. MVNIFICVS
AD. MVNERA. OMNIA. EIVS
MVNICIPI. FACIENDA
LOCVM. QVI. EST. EXTRA
PORTAM. MEDIANAM
IN. QVO. COLVMNAR. FVIT
AB. EO. LOCO. IN. QVO
SCHOLA. FVIT. LONG. P. LXVII
AD. RIVOM. AQVAE
ALBANAE. LATVM
A. VIA. PVBLICA. IN
AGRVM. P. X. M. IVNIO
SILANI. L. MONIMO
POSTERISQVE. EIVS
HONORIS. CAVSSA
DARI. CENSVERVNT
IN. DECVRIONIBVS. FVERVNT. XXVI

Ecce tibi Bovillis, *Schola* quondam; *Porta Mediana*; *Columnar Publicum*; *Rivos* seu *Rivus Aquæ Albanæ*. Quodque caput est, Marcus Junius Silani Libertus Monimus e tribu Fabia honoratus a Bovillanis Decurionibus loco sive spatio agri publici, ob merita sua in Rempublicam Bovillanam, & munificentiam, utilemque operam municipio collocatam. Quem tamen hunc fuisse credas? Mimorum aliquem ego quidem. Hæc enim demum fuit jocularium eorum temporum atque hominum summa utilitas computata; si quis in scæna egregie saltasset, aut scite ceciniſſet. Huic honores omnes de Publico decreti; huic statuæ erectæ: quæ quondam solis Ducibus, ac Imperatoribus, qui ab hostili exercitu Rempublicam defendissent, decerni poterant, & solebant. Tanta in degeneres mores corruptela! hæc ignavia! Ceterum, Schola Bovillana eadem fuit ac Gymnasium, Athletarum, scilicet, atque Histrionum. *Columnar* vero, aut Porticus Publica columnis sustentata; aut Carcer Publicus fuit. Certe *Columbar* locum carceris appellatum, discimus ex Prisciano *b* & Plauto; veteres quoque pro B littera N aliquando usurpasse. Ceterum, Bovillæ in hoc Lapide *Municipium* diserte appellantur; & Bovillani *Municipes*. Ulpianus tamen animadvertit, sequioribus sæculis, quibus jura omnia jam perturbata & confusa erant; *Municipes* nihil aliud, quam meros cives alicujus loci significasse; *Municipium* vero, locum omnem, sive Urbs, sive Pagus, sive Colonia foret, promiscue, ac pro libito, ullo sine discrimine, nuncupatum fuisse. Denique, ex Inscriptionibus Publii Sufenatis eruit Fabrettus, Bovillas ad initium usque secundi Christiani sæculi, ut minimum, fuisse superstites: siquidem elementa earum Inscriptionum oblonga & coar-

b *Jan. Gulielm. Antiquar. v. Columbar. ex Prisciani L. 5. & Plauto in Rudente.*

coarctata rationem Lapides inſcribendi, ejus temporis, præſeferunt.

Jam vero vetuſtam, quam plerique omnes putant, Bovillarum ſedem relegentibus nobis nuperrime, Anno ſalutis ſcil. MDCCXXXV. apud Diverſorium *Le Frattocchie*, juxta Appiam, milliario undecimo Viæ Albanæ, occurrit in ipſa via ante Columnenſium villam exeſus inſcriptus Cippus his notis:

D. M. - - - -
T. ROSCIO MAX - - -
FILIO DVLCIS - -
- - ANNIS X -
- NSE I DIEB - -
- OSCIA MA - -

Quem ita ſupplendum quivis facile per ſeſe colligat: *Dis Manibus ſacrum. Tito Roſcio Maximo filio dulciſſimo, qui vixit annis decem, menſe uno, diebus - - Roſcia mater poſuit.*

Ibidem intra Columnenſium villæ ſepta juxta fontem, ad ædium latus, pulchris & grandioribus literis:

ſic
AEMILIE - - - -
ANTISTENE
HERENNIA - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -

Denique, hujus e regione, duplici in Cippo, rudi ex *piperite*, quem vocant, lapide, repetitum relegi craſſioribus notis: CVRANTE CHRISOGONO. CVRANTE CHRISOGONO. Eruta ibidem recenter proſtabat, eodem ex lapide, rudis Statua hu-

humana minor cum Sarcophago Chriſtianis myſteriis inſculpto, & Chriſti miracula repræſentante, nempe Lazari ſuſcitationem, panes multiplicatos & piſces, cæci nati illuminationem, paralyticum ſanatum, & grabatum ſuum deferentem; una cum aliis vetuſtorum Chriſtianorum monumentorum fragmentis e vicino aliquo juxta Viam Appiam antiquo Chriſtianorum Sepulcreto refoſſis.

CAPUT X.

De Loco quondam Caput Aquæ Ferentinæ *appellato, nunc* Marino, *in Agro Albano.*

ULTRA Bovillas paullum, atque in ſuburbiis ferme ejus oppidi, locus erat, *Caput Aquæ Ferentinæ* antiquitus appellatus. Fuiſſe hic ab auctoribus deſcribitur ad radices Albani Montis, ubi aqua ex Albano Lacu per ſubterraneos meatus proveniens erumpebat demum, & ad Caput veniebat; quod *Caput Aquæ Ferentinæ* ex Ferentinæ deæ Latinorum vicino templo ac luco, & *Rivom* etiam *Aquæ Albanæ* nominatum cognovimus. Huic itaque *Marinum* oppidum, quod nunc exſtat, eodem prorſus loco ſuffectum credimus; cum ſitus utriuſque ad amuſſim reſpondeat inter ſeſe atque conveniat. Marinum enim ad radices Albani Montis conſpicimus ſitum; & Rivo ſive Capite Aquæ Albanæ mire gaudere; & in quamplurima humanæ vitæ commoda uti. Nominis hujus *Marino*, ſunt qui tradant, a C. Mario originem derivatam. ſcilicet, quod Marius villam hoc loci habuerit, quæ *Marianus fundus*, ſive *Marianum prædium*, aut *rus*; *Marianum* denique

et-

etiam ſine addito, fuerit nominata. Ex quo nomen recentius *Marino* demum contractum fuerit. Ut ut res habeat; Caput hic fuit Aquæ Ferentinæ, quod etiam *Ferentinum* nominaverunt. *Lucum Ferentinæ*, antiquiſſimæ Latinorum deæ, ſilvæ quæ modo *Selva di Marino* dicitur, ſupra Lacum Albanum, reſpondiſſe crediderim. Quamquam Cluverius, ad ipſum Caput Aquæ Ferentinæ hunc lucum fuiſſe, ſcripſerit. Hic plurima Latinorum populorum Concilia, præcipue ante Latinas Ferias in Monte Albano celebratas, indicta ſunt atque habita. In quorum uno Turnus Herdonius ab Aricia cum ferociter in Tarquinium Superbum, Romanorum regem ſeptimum, abſentem, fuiſſet invectus; dolo malo ejuſdem Superbi circumventus, catenis injectis, & gladiis in medio poſitis, indicta cauſſa *a* novo genere lethi, dejectus ad Caput Aquæ Ferentinæ; crate ſuperne injecta, ſaxiſque congeſtis, demerſus eſt. Nunc ſub Marini oppidi mœnibus, qua Meridiem proſpicit, ingens conſpicitur fons in nemoroſa valle, a quo amnis in Tiberim, quatuor millia paſſuum infra Romam, influens, olim Romanis appellabatur *Aqua Ferentina*, fons vero ipſe, *Caput Aquæ Ferentinæ*, ſive *Caput Ferentinum*, ut aliquando habet Livius. Eo quod illo Latini omnes ſeſe *conferrent*; ſententiam quoque de Republica *ferre*, ac demum res etiam omnes ad nundinas *afferre* ſolerent. Celebrem fuiſſe locum, hæc omnia dubitare non ſinunt. Splendidis etiam, antiquius quidem, veterum Latinorum, mox Romanorum, ædificiis cultiſſimum, rudera quæ paſſim per agrum circa omnem adhuc apparent, luculento ſunt teſtimonio. Inter quæ inſignia ſunt, certo quodam agri loco, villæ magnificentiſſimæ ſubſtructionum exordia, quæ

a Liv. L. 2.

am-

ambulacra & periſtylia referunt, ea prorſus conſtructione qua in Agro Tuſculano Lucullorum villæ reliquias ſuperſtites cernimus. ut Balneorum veſtigia fuiſſe videantur, in quibus veterum Romanorum luxuries potiſſimum ſeſe explicabat. Ceterum, in agro circa Marinum oppidum, octoginta ferme ab hinc annis, inter fodiendum, ab ruſticis marmor illud pulcherrimum repertum fuit, Homeri ἀποθέωσιν referens; & Poetæ ejuſdem, in divinitatis veluti ſede, effigiem exhibens; diis ſuperne annuentibus omnibus, atque ante ipſum Artibus, ſive Facultatibus omnibus adplaudentibus. quod Athanaſius Kircherius noſter, & poſt illum alii ſatis interpretati ſunt. Neque tamen idcirco fuit a nobis prætereundum, agentibus de loco ubi detectum, atque antiquiſſimis temporibus fuerat conſtitutum. quem Kircherius Claudii Imperatoris villam olim fuiſſe, non immerito exiſtimavit. Hunc etenim Imperatorem Homeri ſtudioſiſſimum fuiſſe conſtat; ejuſque lectioni addictiſſimum, uſque adeo, ut ſine Homero comite nuſquam eſſe poſſe videretur. Itaque, hanc excellentiſſimi Vatis, ac Poetarum Principis ſibi dilectiſſimi imaginem, in loco Claudianæ villæ conſpicuo antiquitus collocatam fuiſſe, veriſimile appareret. Ego vero; ſi tot poſt eruditiſſimorum virorum ſententias ullus adhuc novæ opinioni locus ſupereſſet; marmor iſtud Homericum in Domitiani villa Albana ſitum olim fuiſſe, dicerem. Scimus enim, hunc Imperatorem cultiſſimam in his locis villam habuiſſe. atque inſuper, Poetarum, aliorumque doctorum hominum conventibus, ac certaminibus mire ac ſummopere delectatum. ita ut præmia, eaque ingentia, victoribus proponeret; qualia, fundi, ac villæ fuere. quemadmodum, cum

Sta-

Statio Papinio factum, multiplici ejusdem Statii testimonio cognoscimus. Mihi itaque videtur, templum Poetarum Principi Homero hic Cæsar in sua villa constituisse; & in medio templi marmor Homeri ἀποθέωσιν referens collocasse; ad quod Poetæ, aliique docti viri recitaturi, & in certaminis arenam descensuri, convenerint. Certe, ipsius Kircherii testimonio, Lapis detectus est circa locum vulgo *Le Frattocchie*, circa quem Domitiani villam cœpisse docemur. Quod si etiam locus ubi detectus fuit, villæ Domitianæ minime respondeat; manendum tamen in sententia esset adhuc; quod scilicet marmor in Domitiani villa fuerit antiquitus collocatum. Quam facile enim aliquanto longius inde avehi potuit, ad aliam fortasse villam posterioribus sæculis exornandam! Hæc tamen tantum ex conjectura, non inani illa quidem, ut mihi certe videtur, prolata fuerint. Ad rem quod attinet magis, quodque certum habemus, est; eodem loco quo marmor Homericum fuit detectum, vim ingentem statuarum pariter fuisse repertam; quæ magnificentissimæ villæ situm ibidem exstitisse, satis superque confirmavit. Ceterum, Lapis in fundo Columnensium, Romanorum regulorum nobilissimorum & delitescebat, & detectus adhuc Marini visitur. Hoc enim oppidum, tum ex narratis hactenus profanæ Antiquitatis monumentis, tum ex præsenti ædificiorum publicorum privatorumque frequentia ac nitore, deliciis quoque felicissimi sui agri celebre, nobilissimæ huic Genti, multa jam sæcula, paret. Ex quo etiam fortasse opinio illa apud quosdam percrebuit, Gentem hanc vetustissimam ac potentissimam quondam, ab Cajo Mario, septies Consule, suam originem deduxisse; nempe, quod inter cetera argu-

menta, *Mariani* oppidi heres ab antiquiſſimis temporibus fuerit. De quo tamen, utpote noſtrum omnino extra inſtitutum, minime diſceptabo. Diſtare Marinum oppidum ab Urbe paſſus duodecim mille, vulgo ajunt; quamquam alii aliter computaverint. Unde etiam quantum Caput Aquæ Ferentinæ ab urbe Roma olim diſtaverit, ſi eo prorſus loco fuit, quod veriſimillimum eſſe oſtendimus, ſatis liquet.

Ceterum, apud Marinum oppidum Villa eſt Bevilaqua, dudum Columnenſium Principum in bonis, juxta Viam Romanam, dextrorſum Urbem petentibus, in cujus extimis frontibus utrimque permulta vetera monimenta parietibus inſerta ſunt. præcipue vero ſarcophagorum duorum facies, quarum una deas multas ſtantes cum turrita Cybele repræſentat; altera militum globum mortuum commilitonem deflentium & ad rogum deferentium. aliæ quoque marmoreæ antiquæ tabulæ ibidem proſtant, eleganter elaboratæ, hominum ac brutorum figuras exhibentes, illuſu vario. Capita quoque marmorea virorum ac mulierum; ac ſub porticu plures inſcripti Lapides, quos ego anno Salutis MDCCXXXV. præſens ita deſcripſi:

I.

DIS MANIBVS
PIERI. AVG. L. PRAEC
PVERR. CAESARIS N.
FLAVIA NICE CONIVNX
B. M. TITVLVM CVM VALVIS
AENEIS D. S. P. PERMISSV HERMAE
AVG. L. A CVB. DOMITIAE AVG

Do-

Domitiani ætatem præsefert Lapis Flaviæ ac Domitiæ nomina exhibens. nosque docet, sepulcro fuisse appositum Pierii Augusti Liberti Præceptoris Puerorum Cæsaris Nostri; positumque marito ab Flavia Nice, h. e. Victoria, Benemerenti Pierio; additumque ab illa sepulcralem ipsum Titulum, cum valvis æneis ad sepulcrale cubiculum occludendum de sua pecunia, permissu Hermæ Augusti Liberti, ejusdemque A cubiculo, sive Cubicularii, Domitiæ Augustæ, forte Domitiani sororis.

2.

C. HERIVS PATRON
HERIAE HELPINIS

HIC. EST. ILLE. SITVS. HERIVS. FELIX. COEQVALIS (sic)
CVNCTEIS. QVEI. VEIXIT. ANNOS. VIGINTI
QVEI. ME. RELIQVIT. LIBERTA. HELPINE
ANNORVM. NATAM. TREDECIM. SIBI
VNICE. CARAM. QVAE. ILLIVS. OSSA
RESTITVJJ. POST. ANNOS. VIGINTI. ET
MONVMENTVM. NOBIS. AEDIFICAVI. QVI
LEGIT. DISCAT. ESSE. PIVS

3.

D. M.
M. ANTONIO. ABSCA
NTO. ANTONIA. SPES
CONIVNX. ET. COLLI
BERTA. ET. CLAVDIVS
CRYSANTHVS. B. M
LIBERTIS. LIBERTAB
VSQVE. POSTERISQVE. SV
IS. IN. FR. P. II. IN. AG. P. II

4.

M. CISPIVS
M. L. EVRYPON
M. CISPIVS * M. M. L
ROMANVS V. ANN. XV. PIE
CISPIA M. M. L. BVSCA
M. CISPIVS FELICIO

* MARCORVM.

5.

Grandioribus ac pulcherrimis literis:

AMBIVIA P. L. IRENE FECIT
ET DEDIT
LIBERTIS ET LIBERTABVS
SVIS POSTERISQVE
EORVM
IN FRONTE PED. XXI IN AGRO PED. XXVI

6.

D. M. SAEBINIAE
HELENE sic
VIX. AN. XVI.
P. SAEBINIVS
HILARVS
PATRONAE BENE
MERENTI FECIT

7.

TI. CLAVD. BOTRIONI
FLAVIA CARPILLA
CONIVG. B. M. FECIT
ET SIBI POST. SVIS
LOCVS DATVS AB TI. CL. AVG. L. PRIMO

ſcilicet: Locus ſepulcri datus ab Tiberio Claudio Auguſti Liberto Primo, ſive ab Primo, qui Libertus erat Tiberii Claudii Auguſti.

8. DIS

8.

DIS MANIB
NVNNIAE
SOTERIDI
L. NVNNIVS
FORTVNATVS
FILIVS PIISSIMVS

9.

DIS MAN
SCANTIA
XANTIPPE
Q. ANTEIO
CONIVGI
SVO KARISSIM
FECIT

10.

D. M.
T. FLAVIVS PROCLVS
ET FLAVIA CLEMENTILLA
ET FLAVIE (sic) PROCLE (sic) M. R
Q. V. ANN. IIII. M. X
DXXV
F. CVR

11.

C. CESTIVS HILARVS VIXIT ANN. XXXV
APAINA AMABILIS L L
Q. MINVCIVS FAVSTVS
POSVERVNT DE SVO

12. D.

12.

D. M.
FESTAE FILI
AE DVLCISSI
MAE QVAE VIX
IT ANNIS V
MENS. VII. D. XII
PARENTES

13.

C. TERENTI
PHILOMVSI

14.

Q. CLODIVS Q. L
SPHAERVS
LVRIA. ↄL. NICE

15.

ſupra figuram imponentem thus in aram accenſam:

ΦΛΑΟΥΙΑ
ΑΦΡΟΔΕΙϚΙΑ
ΤΡΑΜΙΑΝΗϵ
ΤΟΝ ϵ ΙΤΤΑ

16.

D. M.
NICEPHORO C. L. VER.
VIX. ANN. XVIII. M. V. D.
VOLVPTAS C. N̄ SER. FIL
PIISSIMO ET PRIMIGEN.
C. N. SER. CONIVGI B. M
FECIT ET SIBI ET POST
EORVM

Ho-

Tab. XII.

Antiquæ cælaturæ Lapis in Marinensi Columnensium Principum Ditione erutus in Agro olim Albano, in quo Homerus in Deos assumptus per uarios Flamines et Consecrantium ordines, Musarum tum maxime ministerio, Iouis iussu, Iunone postulante, et per Irim præcipiente, ad Diuinos honores eunctus repræsentatur.

Horum Lapidum Inſcriptiones jam editas fuiſſe non dubitamus, cum jamdiu publico & conſpicuo loco proſtent, ac proinde diligentiſſimos harumce Antiquitatum collectores fallere haud ita facile potuerint. Dedimus tamen hic nos quoque, utpote in loco opportuniſſimo, quique illas exigeret; repræſentatas præſertim ex ipſis Lapidibus accurate. quod neſcio an reliquorum collectorum ſingulis, qui eas fortaſſe ediderunt, ut nempe coram illas relegerent, ac deſcriberent, contingere potuerit, longe ut plurimum natis, atque verſantibus. Ceterum, e Viæ Latinæ huic loco proximæ tumulis ac ſepulcretis illas huc aſportatas, congeſtas atque diſpoſitas crediderim; eorum aliqua in Clementinum nuper Capitolinum Muſeum translata. Porro unum adhuc alterumve Lapidem veteribus inſcriptum notis deliteſcere, accepi, in Columnenſium Hortis apud Marinum; quem inſpicere, ob janitores villicoſque abſentes minime potui. quos tamen periti rerum hujuſmodi viri, qui ſæpius legerunt, peculiaris nihil aut ſcitu optabilis continere, mihi aſſeveraverunt.

CAPUT XI.

De Priſca Albanæ Urbis quaqua verſum Regione, Oppidiſque ac Pagis antiquitus & in præſens in ea conſtitutis.

PRÆTER ea quæ de ſumma atque ampliſſima Albanorum (Latinorum ſcilicet, quorum caput Alba fuit) potentia, plurimiſque deductis Coloniis, quibus longe lateque quadringentos, & eo amplius, annos Albani vaſtiſſime imperitarunt, hactenus commemorata

memoravimus; & illud, curſim ſaltem, attingendum hic ſupereſt, quot nempe, quæque fuerint priſcis temporibus oppida & pagi circa ipſam Albam urbem, cujus regionem, veluti *Albanam* quandam *Provinciam* confecerint. In qua recenſione, & ea loca quæ in præſenti Albanæ urbis ſacra ditione ſunt, vel pauciſſimis, memoraſſe, opportuniſſimum erit. Fietque hac ratione ſatis aliquatenus curioſis illis veſtigatoribus, & querulis nimium, qui inter priſca Profani noſtri Latii monumenta, recentiſſimam Latii Sacri Hiſtoriam inquirere tamen, & non inventam, male nimium abeſſe, criminari forte non ceſſant. Pleniorem hujuſcemodi rerum notitiam, de Latio Sacro ſecuturis, Deo dante, Libris, protinus allaturis. Itaque Albanæ urbis regio, ac quædam veluti, in ejus ambitu ac circuitu, provincia, plurium olim urbium atque oppidorum, pagorum quoque & caſtellorum, eorumque agrorum, ſpatia latiſſime complexa eſt. Quorum hæc probatis ab ſcriptoribus fuiſſe produntur vocabula: Ardea, Aricia, Caſtrum Gandulphi, Lanuvium, Cynthianum, Nemus, Marianum, Lavinium, Neptunium; quæ oppida vel eadem appellatione, vel immutata, ut jam infra memorabimus, in Albanæ præſentis urbis ſacra ditione verſantur. Diruta vero atque exciſa fuere Caſtrum Sabellium, Tenara, Caſtrum Sancti Petri in Formulis, Ad Decimum, Concha, Villa Priapi, Podium de Monte Albano, Solonium, Palatiolum, Bovillæ, Satricum, Caſtrum Inui, Neptunium, aut Ceno ſive Cerbio aut Cerio, Bola aut Vola, Munium ſive Mœnium, Cameria, Forum Populi, Mecium, Fabium, Sublanubio, Arx Carventana, Ceretum, Antium, Aſtura, Circeji; atque alia fortaſſe, quæ non minus amplos fines,

quam

quam Vetus ipſum Latium haberet, complexa fuerint. De quibus, cum ſuis locis vel hactenus locuti fuerimus, vel locuturi in poſterum ſimus; ſatis erit pro præſenti, ſitum cujuſque deſignare, & vetuſta cum recentibus eorum conferre nomina; de præſenti quoque ſingulorum ſtatu, ad abundantiam, ut ajunt, nonnullis additis.

Ac de Ardea quidem atque Ardeatibus toto hujus noſtri Operis de Veteri Latio Profano inſtituti Libro Nono jam fuſe egimus. Nec aliud hic adjungendum dictis ſupereſt, quam, oppidulum in præſens pæne dirutum ac deſertum, quamvis a plurimis *Ardea*, veteri vocabulo nominetur, a nonnullis tamen rudioribus accolis *Ardia* quoque nominari, compertum eſſe. Porro, de Aricia atque Aricinis ſubſequens hunc de Albanis Liber excipiet; eorumque ſingillatim præclara monimenta explicabit. De Cynthiano autem, & Octavo hujus Operis Libro nonnulla; & inſequenti de Aricinis, qui ordine Tertiuſdecimus numeratur, reliqua complexuri ſumus; quibus unum hic antevertimus; oppidum hoc, ſcilicet, non tantum *Genzano*, ut vulgo paſſim in præſens, verum etiam *Cinzano*, quaſi priſco vocabulo adhuc proximius, elapſo tempore nominatum apud *Medii Ævi*, ut ajunt, ſcriptores inveniri. De Nemore quoque ac Nemorenſibus, utpote qui Aricinarum rerum pars magna fuerint, in ſequentibus fuſiſſime acturi ſumus. Marianum, nunc *Marino*, habes præſenti Libro jam illuſtratum. De Lanuvio, modo *Civita Lavinia*, deque Lanuvinis Octavus Liber ediſſerit peculiariter. Lavinium & Lavinienſes Decimus, qui de Laurentibus inſcribitur, pertractavit. Neptunium denique oppidum, in cujus ſitu Cenonem ſive Cerbionem aut Cerionem Antiatum Navale antiquiſſimis tempori-

bus ſtetiſſe, perhibent; in calce noſtri de Antiatibus Libri, qui Quartus eſt, indictum non prætermiſimus. Atque hæc quidem oppida ſunt: *Ardea*, *La Riccia*, *Caſtel Gandolfo*, *Civita Lavinia*, *Genzano*, *Nemi*, *Marino*, *Pratica*, *Nettuno*, recentioribus nominibus appellata, quæ Albani, ſeu melius, *Albanenſis* Antiſtitis ſacram ditionem, ſive diœceſin jamdiu conficiunt. Oppida, inquam, ſupremæ in Deum Optimum Maximum veræ ac rectæ religionis cultu florentia, in quibus ædes ſacræ complures exſtructæ funditus, ab loci dominis plerumque, ac ſacra ſupellectili ornatæ affatim; virorum religioſorum collegia & cœtus non pauci, qui certis redditibus conſtitutis aluntur; amœnæ tum incolarum, tum vero maxime Romanorum ruſticantium villæ fundatæ; copioſi agri, & frugiferi, late protenſi, omnia denique humanæ ſuſtentandæ vitæ neceſſaria, utilia, voluptuaria quoque, & deliciis affluentia, frequentibus hæc ipſa loca incolis (ſi unum alterumve maritimum, cœli gravitate infrequens, exceperis) habitantibus ſufficientia. De quibus abunde, præter alios, in manuſcriptis ineditiſque adhuc codicibus egit Dominicus Antonius Pierantonus Trebanus Societatis noſtræ Sacerdos pereruditus; noſque in Latio Sacro, ſobrie tamen, parce, nec ſine delectu, protinus ſingillatim acturi ſumus. Sunt quidem hæc omnia in ſuprema Pontificia Ditione oppida conſtituta, & in Provincia modo Campaniæ, olim Latii, annumerata; pleraque tamen Romanis Regulis parent, ſupremum Romani Pontificis a quibus ea regenda acceperunt, imperium tributo, ut par eſt, agnoſcentibus. Quatuor autem potiſſimum Romanæ familiæ oppidorum, pagorum atque caſtrorum circa Urbem dominio, Romani

ma-

majeſtate imperii jam dilabente, potiri cœperunt: Urſinorum videlicet, Columnenſium, Comitum Tuſculanorum, & Sabelliorum. Et Urſini quidem ultra Tiberim in Etruria Suburbana, ſive *Suburbicaria*, ut plures loqui maluerunt, præcipue vero maritima, in Sabinis quoque latiſſime, ut plurimum, dominati ſunt. quorum jam decreſcentium, ac demum deficientium penitus ampliſſimis de patrimoniis oppida, ac latifundia deciſa permultos de novo enatos Romanos regulos ditaverunt. Columnenſium quoque dominatus, licet adhuc tum in Veteri Latio tum in Novo, ſive Campania, tum etiam in Samnitibus atque Veſtinis, & in ipſa ultra Pharum Sicilia vigeat; pluribus nihilominus, in Veteri præcipue Latio, oppidulis, pagis & villis jamdiu fuit imminutus; quæ dominos permutarunt frequenter, & in altera jura tranſierunt. At Comitum Tuſculanorum, ex quibus etiam prodiere Signini, & Anagnini Comites, & De Ceccano, ab ipſa Tuſcorum Principum ſive *Marchionum*, quos dicebant, prima ſtirpe atque origine deducti, Comitum, inquam, Tuſculanorum, qui ipſo Tuſculo ingenti cum gloria, & bellicarum rerum geſtarum fama diu potiti fuerant, ob effrænatam & efferatam in Populum Romanum Romanoſque Pontifices dominandi libidinem, licentiam, atque audaciam, cum ipſius excidio Tuſculanæ urbis, pluribus jam ſæculis, potentia fere omnino interiit. remanente nihilominus in hanc uſque ætatem, *Comitum*, vulgo *Conti*, Romanorum Principum Familia nobiliſſima. Sabelliorum denique Romanorum optimatium ac regulorum Gens nobiliſſima & generoſiſſima in hac Albana regione de qua nunc nobis eſt ſermo, potiſſimum ac plurimum dominata eſt. Unde & Caſtris

ſtris duobus in ea nomen fecit. Alteri quidem *Caſtro*, ſive *Caſtello Gandulpho*, in ruinis veteris Albæ ſive regiæ Albanorum priſcorum regum domus excitato, in meridiana Albani Lacus margine, de Comitis Gandulphi Sabellii loci domini, atque exſtructoris, ſive certe reſtitutoris nomine: alteri autem *Caſtello Sabellio*, ultra Albanum paſſus pl. m. mille, mare verſus, in colle excitato oppidulo, jamdiu tamen in ruinis jacenti. Et hæc quidem Sabellia gens generoſiſſima ipſa præſenti Albana urbe potita fuit; donec ſæculi, quod vivimus, a Chriſto Nato decimi octavi ſub initium, familia eadem nobiliſſima penitus exſtincta, Urbs Albana, Caſtellumque Gandulphi ac Sabellium Pontificio fiſco reddita ſunt. Parent itaque Albanæ regionis ſive provinciæ ſacræque Antiſtitis Albani ditionis oppida Albanum & Caſtrum Gandulphi uni Romano Pontifici, quemadmodum & Neptunium oppidum a Columnenſium ditione translatum. Aricia vero Chiſiis; Lanuvium, Ardea, & Cynthianum Cæſarinis ſive Sfortiis in Cæſarinos adoptatis; Lavinium Burgheſiis; Frangipanis Nemus Dianæ; Marianum ſive Marinum Columnenſibus dominis. Porro, Neptunium oppidum, prope Loram ſive Loracinam, fluviolum ſitum ad mare, de antiquiſſimi Neptuno ſacri templi nomine forte ſic dictum, dum in Columnenſium eſſet ditione, Muſarum ſedes ac domus fuiſſe memoratur. in eo namque non ſemel Tragœdiæ, Comœdiæ quoque, ſive Paſtoriæ Fabulæ, & Piſcatoriæ, datæ ſunt elegantiſſimæ. quarum omnium inſtar fuerit *Alceus* Antonii Ongari Patavini Poetæ, inter Alexandri Farneſii Cardinalis aulicos nobiliſſimi; quæ ex *Amyntæ* celebris Paſtoriæ Torquati Taſſi Fabulæ penu depromta quod eſſet (paſtores tantum

in

in piſcatores, & ſilvam in littus mutata ſi excepe-ris) *Amyntas madidus*, congruo quam maxime joco, appellata eſt. Quam, inquam, *Alceum* Fabulam ſæ-pius prælo excuſam, paucis ab hinc annis JOANNES ANTONIUS & CAJETANUS VULPII germani fra-tres mei, bonarum literarum curatores ſollertiſſimi novis illis Cominianis Patavinis pulcherrimis cha-racteribus imprimendam diligentiſſime curaverunt, anno ſcilicet Salutis Humanæ MDCCXXII. una cum ipſius Torquati Taſſi Paſtorio Amynta. Quod autem in Neptunio oppido Alcei Fabula data fue-rit, ex ipſius teſtimonio colligimus, ajente in ejus Prologo Venere :

Venere io ſon la madre dell' Amore,
Che ſcendo oggi dal cielo in queſta parte
Dove ſerba i veſtigj e le ruine
Del tempio di Fortuna il lido ancora.

Veſtigia nempe ac rudera templi Fortunæ Antiatis celeberrimi, de quo nos plurima in Antiatibus; & Horatius illud ad Fortunam : *a*

a *Od.* 35. *Lib.* 1.

O diva gratum quæ regis Antium,
Potens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos;
Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina.

Quod autem Neptunium oppidum, cum in illo Al-cei Fabula repræſentaretur, Columnenſium in di-tione foret, in eadem Fabula innuitur iis verſi-bus, non admodum bene a nonnullis intellectis & explicatis:

Alceo, che è prima gloria ed ornamento

Di

Di queſto mar; che nacque nel caſtello
Che dal gran dio dell' onde ha preſo il nome;

in iis enim non auctor Fabulæ Antonius Ongarus, ut male quidam, ſed aliquis ex Columnenſibus Neptunii oppidi dominis veriſimillime deſignatur; cum Ongarus in ea Fabula non *Alcei*, ſed *Timetæ* ſub nomine (quod illam legentibus plane conſtat) occultari voluerit; quemadmodum ante nos optime iidem VULPII acute animadverterunt; Ongarum Poetam Patavio communi patriæ aſſerentes, ac, quatenus opus, reſtituentes, vel unius clariſſimi verſiculi perſpectiſſimo teſtimonio, quo Hieronymus & Michael Ruiſii fratres ipſum Ongarum gratulabundi allocuti ſunt:

O di mille virtù ſpirito adorno,
A cui verſa Aganippe i dolci umori,
A cui chinan le cime i ſacri allori,
Per cui porta la BRENTA *illuſtre il corno.*

Medoacum namque, nunc *Brenta*, flumen Patavium alluens eſſe, nullus ignorat. Profecto in eodem Neptunio oppido & illud obiter notandum; in feminis nempe veſtium ornatum Arabas verius & Saracenos, quam Latinorum cujuſvis populorum, cultum olentem adhuc vigere. viguiſſe autem memorant adhuc effuſius ad Gregorii uſque Tertii Decimi Summum Pontificatum; cum ſapientiſſimus Sacrorum Antiſtes ornamenta quædam, quæ Chriſtianos potius Sacerdotes ac Pontifices decerent, inter muliebrem Neptunenſium feminarum mundum verſari, ut ad eam diem acciderat, ſancte prohibuit; de publico decentioribus in ſingulas veſtibus erogatis. Quamquam autem ſic cohibitæ, veteris nihilominus barbarici cultus, antiqui moris ſive abuſus tenaciſſimæ, multum adhuc eæ mulieres retinent; quas, ſimul Urbem

bem ingreſſæ fuerint, quiddam veluti exoticum ac monſtroſum mirari quiſque non ceſſet. Atque hunc morem, hos cultus atque hæc barbarica primi Saraceni invexiſſe in oppidum, merito exiſtimantur, infelicibus illis ſæculis quibus Latino littori longe lateque incubuerunt. Ad quorum validius propulſandos inſultus, & avertendos incurſus munita arce Neptunium oppidum a Romanis Pontificibus auctum, de Columnenſium in publicam ipſorum Romanorum Pontificum unice poteſtatem opportune tranſductum fuit. Quod denique oppidum licet ab amœnitate littoris, ab Romanorum frequenti per hiemem ruſticatione, ab Innocentiano in vicinia ſua excitato Portu, ab magnificis Pamphiliorum, Coſtagutorum, Albanorum, Corſinorum fundatis villis, a piſcatione, & coturnicum verna captura copioſiſſima, quamtumlibet commendare merito voluerimus; numquam tamen ſummam ejus laudum attigerimus: quæ, ſapientum quidem judicio, illa perpetuo futura eſt; quod PAULLI SEGNERI Societatis Jeſu, Theologi Pontificii, ſacri Oratoris ac Oratorum anteſignani, & ſanioris Oratoriæ reſtitutoris eloquentiſſimi, ſcriptorum denique librorum pientiſſimorum, perquam elegantium, & perutilium auctoris toto Chriſtiano orbe præclariſſimi, morum integritate ac ſanctitate, non ſine patratorum miraculorum fama, in ſacris expeditionibus viri celebratiſſimi, Neptunium oppidum patria fuerit. In eoque, incredibili animi mei voluptate, cubiculum ubi talis tantuſque vir in lucis vitalis auras primum eſt editus, primumque ſolem aſpexit, tamquam locus in quo ſtarem, terra ſancta eſſet, exoſculatus & veneratus ſum. Ceterum, ut de aliis quoque Albanæ provinciæ præſentibus oppidis, ex recentiori hi-

hiſtoria, aliqua delibemus; ſupra Caſtri Gandulphi portam inſcriptum legimus: *Qui Potenti minora negat, majora permittit*. Quod Clemente Octavo ſedente inciſum marmori fertur, ad aliquam forte repulſam, quam a Sabelliis loci dominis Pontifex ille paſſus fuerit, proxime alludens. Certe in eo oppido Pontificiæ publicæ ædes peramplæ cernuntur exſtructæ, quas Alexander Septimus potiſſimum ampliavit & exornavit, viis, fontibus, templo, exornato Oppido: amœnaque ibidem ruſticatione idem uti conſuevit; quam etiam Clemens XI. ex morbis quibus ſemel iterumque afflictatus fuerat, convalituras, uſurpavit. Oppidum idem *Turrim Candulphi* pariter nominatum invenimus, & *Pandulphi Caſtellum*, quod de Pandulpho Sabellio Honorii IV. Romani Pontificis patre vocabulum derivatum, ſunt qui meminerint. aliis nihilominus eam appellationem *Gandulphi* ab Romana familia, *Gandulphorum* cognomine, cujus patrimonium exſtiterit, deducentibus. Porro, Lanuvium hodie *Civita Lavinia*, vel accolis *Civita* ſine addito, tot poſt evoluta ſæcula viget adhuc, & murorum partem oſtentat, non modo vetuſtiſſimi & opulentiſſimi quondam templi Junonis Soſpitæ, quemadmodum peculiari de Lanuvinis Libro fuſe docuimus; verum etiam murorum, poſt illos multo, exſtructorum ad loci munimen & propugnaculum; ornaturque, præter ſacram ædem bene cultam, eleganti cum primis villa Bonellia, quam Jacobus Tertius Stuardus Magnæ Britanniæ Rex hoſpitio ſuo inſignem fecit; quod in fronte villæ collocatum marmor adeuntes docet. felix & loci ingenium, vineis educandis aptum, & ubere glebæ fertile; modicis tamen inhabitatur colonis, quod per autumnum nocentes corporibus patiantur Auſtros.

La-

Lavinii ſedem fuiſſe, exiſtimari a pleriſque diximus, edito de Laurentibus Libro, circa oppidum *Pratica*, ſeu melius & eruditius, *Patrica*; quod amplis Burgheſiorum Principum, quorum in ditione eſt, ædibus, cum turri exornatur. Prope illud equarum armenta non paſcuntur modo uberrime, ſed propagantur, & ſoboleſcunt pulli optimæ notæ, *quibus* ardua cervix, argutumque caput, altior ingreſſus, brevis alvus, obeſaque terga, luxuriatque toris animoſum pectus; qui ſtare loco neſciunt, ſi qua ſonum procul arma dedere, non tantum ire viam primi & fluvios tentare minaces audeant, & ignoto quamtumvis arctoque ponti ſeſe committere; quin auribus micant artuſque tremunt, collectumque premendo ignem volvunt ſub naribus. illis denſa juba, & dextro jactata recumbit in armo; at duplex agitur per lumbos ſpina; cavantque tellurem, & ſolido graviter ſonat ungula *cornu*. Modico inſuper ſitum in colle oppidum, nec a mari ultra tertium lapidem diſtans mediterraneis & maritimis deliciis abundat; dignum propterea quod hiemali ac verno tempore dominos ſuos demoretur. autumnum Aricinis, Nemorenſibus, atque Cynthianis colonis exſpectantibus & celebrantibus magna frequentia. Marianum denique ſive Marinum vico duplici gaudet excultiſſimo; altero in ſummo colle planis ſpatiis, qui ab Tuſculo Caſtrum Gandulphi divertentibus occurrit peramplus, & ædificiis, villularum inſtar, perquam ornatus; in deſcenſu alter, deflectens ab Albano Monte deſcendentibus Romam verſus, in ipſo Romanæ ac Neapolitanæ Viæ limite, perpulchris pariter ædificiis ornatiſſimus. Quorum potiſſimum eſt Columnenſium regulorum Palatium amplitudine, magnificentia, hor-

tis, fontibus, omni denique delicatiori cultu inſtructiſſimum ac nobiliſſimum.

Poſt hæc, in Albana provincia exſtantia adhuc & inhabitata oppida, exſultim non imprudenter commemorata, utpote quorum hiſtoria præſentis noſtri inſtituti vere non ſit; qui profana tantum vetuſtiſſima monumenta conſectamur, ut quidquid ſub terra eſt, in apricum proferat ætas; ſunt in eadem regione, ſive fuerunt potius, & perſtat adhuc priſcorum nominum umbra vel veſtigium aliquod; loca, inquam, *Sabellium* ſive *Caſtrum Sabellium*, vulgo *Caſtel Savello*, ſive *Savello* abſolute, deſertum ferme ab colonis; ſacra nihilominus ædicula & ſacerdote, ejus & ruſticorum in ea vicinia agros excolentium cuſtode & curatore, perſeverante. Quamvis autem deſolatum oppidum ab bellorum motibus & ſæculorum injuriis, plerique fuiſſe confirment; peculiarem nihilominus aliqui ſolitudinis cauſſam tradunt aquæ defectum, quæ cum olim ductibus locum abunde irrigaverit, disjectis iis ædificiis, quæ nonniſi maximo ſumtu refici ac reſtitui poſſint, colonos fere omnes deficiens in fugam verterit. Non longe ab Sabellio & *Tenara* oppidulum in Albana provincia, mare verſus, fuiſſe proditur; cujus Urbano V. ſedente Nicolaus Lucas Sabelliùs Virginibus Romæ ad Divæ Euphemiæ dimidium vendidiſſe memoratur a Contelorio, in Comitum Romanorum Genealogia. Neque ulterior oppidi hujus mentio aut explicatior notitia invenitur; cum neque nomen neque ſitus ubi collocatum fuerit, ullus oſtenderit. inter antiqua pariter Priſci Latii oppida veteribus ab ſcriptoribus memorata & deſcripta deſideretur. Rurſum, a Sabellio non ita procul exſtitiſſe videtur *oppidulum* aliud, *Caſtrum Sancti Petri in Formulis* nuncu-

cupatum, Sabelliorum pariter in dominatu. Venditum hoc a Sabelliis proditur, Nicolao V. ſedente, Collegio Sacerdotum Divi Petri in Vaticano; a quibus conſtructa ædicula prope veteres aquæductus minores nomen loco fecit probabiliter. quemadmodum intra Urbem accidiſſe cognovimus loco qui in monte Cœlio *Sancti Thomæ in Formis* dictus eſt, ob ſacram ædiculam juxta Claudiæ Aquæductus exſtructam. Caſtro Sancti Petri in Formulis in regione Albana; cujus ſitum nullus hominum, quod ego quidem noverim, deſignavit; proximum fuiſſe aliud in Sabelliorum pariter ditione oppidulum videtur, vulgo *Borghetto*; quippe quod tamquam in vicinia, una cum ipſo Caſtro Sancti Petri in Formulis ab Sabelliis divenditum memoretur. Hujus nominis loca circa Urbem plura fuere, ac præcipue in Via Flaminia prope Ocriculum; & Latina circa oppidum *Roboraria* ad decimum ferme lapidem. Latine *parvum Suburbium*, ſive unica voce *Suburbiolum* diceremus.

Concha item oppidulum ſive caſtrum in maritima Albana provincia fuiſſe perhibetur, loco ubi antiquiſſimis Romanæ Reipublicæ ſæculis Satricum urbs Antiatum Colonia exſtitit. in ruinis omnino jacet, in latifundiis & paſcuis ultra Velitras, ut nos in noſtro de Antiatibus Libro docuimus. nomen autem *Conchæ* (quod *lacum*, ſive *concavum fundum*, aut *vallem* recte interpretaremur) ab ipſa imi ſoli ac veluti ſtagnantis natura & ſede impoſitum, non male crediderim. *Villa* quoque *Priapi* in Ardeatino ad mare, ac proinde in regione Albana, in Sacris Romanorum Pontificum Faſtis memoratur. Leo enim V. qui ſedit anno Salutis CMIV. Ardeatinus, ex Villa Priapi in Ardeatino, Pontifex electus ſcribitur;

quod & nos in Ardeatibus præmonuimus. Nomen loco factum ab Priapi hortorum numinis, quod peculiari forte hic templo & cultu celebratum olim fuiſſet, exiſtimare, minime abſurdum; præcipue cum ſerendis hortis hæc juxta mare planicies, uvida ferme & irrigua ſemper, fuerit peropportuna. Fuit & Caſtrum aliud, *Podium* vulgo dictum, ſive *Podium* de *Monte Albano*. Cujus apud Contelorium in Comitum Romanorum Familiæ Genealogia mentio ſupereſt. quodque Anno Chriſti MCCLVI. Alexandro IV. Pontifice Stephanus Comes poſſidebat, trecentoſque poſt annos, ab Joanne Comite, Mario Sabellio venditum eſt. Horum neque nominis, neque ſitus veſtigia ulla ad nos pervenerunt. præcipue cum *Podium*, nobis *Poggio*, vocabulum ſit genericum & commune locis omnibus qui alto colle minores, & planis arvis erectiores ſint. Olim autem *podium* in ædificiis idem fuerit quod nunc *poggiuolo*, *ringhiera*. ſic in Circo elatior locus, de quo nobiliores equorum curſum ſpectabant, *podium* dictus eſt; unde Juvenalis, *Omnibus ad podium ſpectantibus*. *b* Ceterum in regione Albana etiam *Solonium*, ſive *Solonius Campus*, erat in ea extenſum loca quæ nunc Ardeates inter atque Aricinos & Lanuvinos campos protenduntur, quibus hodie vulgata nomina *Santo Abrocolo* ſive *Aprocolo* ſive *Arocolo*; atque alia, de quibus in Lanuvinis peculiariter actum eſt, ubi de Solonio. Fuit autem Sanctus Aproculus ſeu melius Proculus Brunduſinus Antiſtes, qui dum Via Appia atque Ardeatina iter faceret, una cum Pellino ſocio ſibi ſucceſſore delecto, in Ardeatino mortuus pariter atque tumulatus, ibidem templo cultus, loco nomen impoſuit.

b *Satyr.* 2.

Jam vero in Monte ipſo Albano non unum anti-

tiquitus oppidulum exſtitiſſe traditur, præter regiam ipſam urbem Albam Longam gentis univerſæ ac regionis caput. ac duo potiſſimum memorata ab ſcriptoribus invenimus, *Fabium* ſcilicet, unde *Fabienſes* in Monte Albano ſunt apud Plinium, & exinde Fabia fortaſſe tribus & gens: & *Forum Populi* ſive *Popilii* ibidem apud eumdem. Quorum alteri ſedes forte fuerit ubi nunc caſtellum *Rocca di Papa*; alteri, ubi villula Columnenſium *Palazzolo*. Cujus nominis originem quamquam in promtu & aperto videatur oſtendere modicum Palatium ibidem adhuc exſiſtens; nonnulli tamen nodum in ſcirpo quærentes, & nullum ſine vetuſto nomine ſaxum in hac regione putantes, altius ab antiquiſſimis uſque temporibus deductam malunt. nempe ab Publica Domo ſive modico Palatio Conſulum, quod certe ædificium exſtitiſſe in Albano Monte, ab probatiſſimis Hiſtoricis Dionyſio & Livio monemur; quo ſe Conſules, Latiali Jovi ſacrificaturi, reciperent, ante vel poſt Albani ipſius Montis aſcenſum. De Bovillis intra fines Albanos & Albanorum Colonia, deque Bovillanis-Albanis-Longanis, ut ipſi coloni ſeſe inſcripſere, plurima hactenus in ſuperioribus. Satricum in Antiatibus illuſtratum eſt: Caſtrum Inui cum Ardeatibus. *Bola* aut *Vola*, (quod oppidum inter Tiburtinos & Prænestinos fines ac Tuſculanos, vulgo *Poli*, quidam exiſtimant, ſed non ego credulus illis) in Albana regione, ex iis quæ de illa Livius & Dionyſius tradiderunt, exſtitiſſe, probe colligitur. Sedem tamen ejus, hariolantes, minime deſignabimus; cum jamdiu ſine veſtigiis periiſſe noverimus. Illud quidem nomen videtur innuere, *mediam* in Albanorum ſive Priſcorum Latinorum regione conſediſſe; quemadmodum *Volaterræ* in Etruria;

ria; & pars concava manus, quæ Latinis *vola* dicta eſt. Aliam a Bovillis fuiſſe urbem, hactenus a nobis ſignificatum eſt. *Munium*, ſive *Mœnium* in Agro Albano caſtrum aut oppidum innuere videntur Lapides qui Militum Caſtri Mœnienſium meminere, quos ſupra ſuis locis protulimus. Id tamen non aliud niſi Caſtra Prætoria in Albano fuiſſe exiſtimaverim; quæ ob munitionem & mœnia quibus ſæpiebantur, *Munium* & *Mœnium* & *Mœnienſium Caſtrum* appellata fuerint. Ea forte ibi munita fuerunt, ubi in Albano præſenti oppido locus dicitur *Cello Majo*, maximis adhuc ſubſtructionibus, murorum & fornicum ruderibus & molibus exſtantibus. forte in villa Barberinorum Caſtrum inter Gandulphum & Albanum oppidum: nec deſunt qui, apud Marinum collocata fuiſſe, exiſtimaverint. ubi tæterrimus pariter Albanus Carcer, a nobis jam deſcriptus, concluſus fuit. *Cameriam* quoque Albanorum certe Coloniam, ex Dionyſio, libro ſecundo de illa ajente, *Hanc olim Albani multo ante quam Romam condiderant*, nonnulli prope Albam Longam conſtituerunt; verum perperam; ut videtur. Siquidem ex iis quæ de ejus oppugnatione ac expugnatione, & vicinia prodidit ipſe Dionyſius; in Sabinis potius conſtituta colligitur, circa Tiberim, non longe a Medullia, Ameriola, & Cenina, vetuſtiſſimis Sabinos inter atque Latinos exciſis oppidis. De *Mecio* egimus in Veliternis; de loco *ſub Lanubio*, hodie *San Gennaro*, in ipſo limite Appiæ Viæ poſt Cynthianum oppidum, locuti ſumus in Lanuvinis. Quibus adjunxeris, in expanſa Agri Romani Tabula accuratiſſime ab Franciſco Eſchinardo Societatis noſtræ Mathematico nobili deſignata, ſub Lanuvio poni fluviolum, ſeu verius foſſam, cum inſcriptione *Lacivio foſ. olim*

lim Lanuvio; perinde ac ſi ab ipſo vel locus *ſub Lanubio*, vel ipſum Lanuvium oppidum nomen deſumſerit. At vero *Arx Carventana*, quam in regione Albana fuiſſe quidam prodidere, quo potiſſimum hujus regionis loco ſederit, difficile dictu fuerit. Livius quidem Libro quinto *ab* U. C. Anno CCCXLIV. de illa hæc habet: *Repente nuntiatur Arcem Carventanam ab hoſtibus occupatam eſſe*. erant hi Æqui cum Volſcis. ſubditque Livius idem: *Ductus exercitus ad Carventanam Arcem*. & aliquibus interjectis: *Impigre primo ſtatim adventu, dejectis qui in præſidio erant, Arcem recepit*; nimirum Romanus Conſul. Si tamen in regione Albana fuit hæc Arx, (quod tacet Hiſtoricus) in montibus collocatam crediderim, ultra Algidum; cum & *Arx* dicatur, quæ ut plurimum in arduis montium cacuminibus ſitæ erant; & *Æquorum* ac *Volſcorum* incurſionibus expoſita, qui circa Algidum diutiſſime conſidere conſueverant. Sed & *Ceretum* in Volſcis fuit, alterum certe quidem ab Cereto ſive Cere Vejentium & Etruſcorum oppido ad mare. Quod Livius aperte ſignificavit Libro quarto, Anno U. C. CCCXL. inquiens: *Ceretumque non Vejentium fuerat: altera hæc nomine eodem in Volſco agro fuit, cujus excidium eſt dictum*. Verum ex his ipſis Livii verbis conſtare videtur, Ceretum Volſcorum, extra fines Albanæ regionis fuiſſe; cum dicatur in Volſco agro conſtitutum. Quamquam enim & Corani, & Veliterni & Antiates Volſci nominis eſſent, & intra Veteris Latii fines nihilominus conſtituti, Priſcis Latinis accenſerentur; improprie tamen *in Volſco agro* has urbes ſediſſe quis diceret. Cum itaque Ceretum in Volſco agro memoretur a Livio; ultra Veteris Latii fines, adeoque Albanam regionem atque provinciam,

ciam, hanc urbem, quam Albanis non nemo adjudicat, exſtitiſſe, probabilius multo colligimus. Quamquam autem Antium & ejus olim dominatui ſubjectæ urbes Aſtura & Circeji peculiarem per ſe provinciam littoralem atque maritimam conſtituerint aliquando; intra tamen Veteris Latii fines, ad ipſum uſque Circejum promontorium ampliatos, poſtquam venerunt, Albanis Regibus, ut ceteri Latini populi, paruiſſe illas, minime dubitandum. De quibus tertio ac quarto hujus Operis Libris abunde narratum eſt. Itaque ut Albanæ hujuſce regionis ſive provinciæ confinia metemus & concludamus; littoralem ea videtur Latii partem omnem ſic comprehendiſſe, ut ab Oſtiis Tiberis Circejos uſque protenderetur, & Rutulorum, quorum princeps Ardea, Laurentium, quorum urbes Laurentum atque Lavinium, Antiatum, Circejenſium denique agros complexa, cum mediterraneis quoque urbibus Lanuvio, Velitris, Norba, Aricia, earum circa oppidulis hactenus enumeratis, aliiſque in ſuperioribus Libris commemoratis, ut puta Caſtro Inui, Aphrodiſio (ſi ab Antio aliud fuit oppidum, quod aliquibus placuit) Nymphæo, ceteris. Utrum autem in regione Albana computata ullo umquam tempore fuerint & alia Veteris Latii oppida, Cora, Tuſculum, Algidum, Prænefte, Gabii, Tibur, & in eorum agris reliqua; aſſeverare non auſim. Quamquam enim hæc intra Priſci Latii fines, quibus Albani Reges ſunt dominati, contineantur, & antiquitus continerentur; *regionis Albanæ* tamen *partem* dicta illa ab ſcriptoribus non invenio: verum *Latinorum* tantum *Regni partes* nominantur. immo potius contra, peculiares hæc oppida cum ſuis agris regiunculas conſtituiſſe videntur; cum paſſim occurrant apud auctores *Tiburtini*, *Prænefti-*

ni,

ni, Gabini, Corani, Tuſculani, Setini montes & populi ſingillatim nominati. Antiates quoque & Veliterni, ſive potius Antiatum agri, & Veliternorum, quamquam antiquiſſimis ſæculis ante Romam conditam in regione Albana computati fuerint; Romanæ tamen Reipublicæ ſub exordiis peculiarem populum, Rempublicam, atque Senatum Antiates & Veliterni conſtituiſſe videntur; utpote qui, poſt Albanorum regni, & Albæ urbis excidium, Romanorum imperia cum detrectarent, trecentis non minus annis, renovatis pæne in ſingulos bellis ac prœliis diſtinuerunt; quemadmodum in eorum Libris fuſe perſecuti ſumus.

Ceterum, in Albana provincia & regione duæ potiſſimum fuere ex trigintaquinque Romanis tribubus; *Fabia* ſcilicet, atque *Mæcia*. Et Fabiam quidem, originem habuiſſe a Fabio oppido, ad radices Albani Montis priſcis ſæculis conſtituto, ſunt qui teſtantur. Creviſſe autem oppidum ab celebritate templi Fabiæ deæ dedicati a priſcis Latii habitatoribus. Ferunt enim qui interiorem Fabularum narrationem ſunt perſecuti, Herculem in celeberrimo illo ſuo ex Hiſpaniis reditu, ac per Italiam itinere, Nympham compreſſiſſe quæ *Fabia* dicta fuerit, & ex ea Fabium Maximum ſuſcepiſſe. id, quamquam alii, eo loco ubi poſtea, intra urbem Romam, fuit Ara Maxima, prope Tiberim, contigiſſe, aſſerant; alii nihilominus, ad radices Montis Albani, non ita longe a Latina Via, ex ea ſcilicet parte qua Albanus Mons Tuſculanos reſpicit colles, factum, affirmant. Factique ac ſententiæ ſuæ illud in teſtimonium adducunt, quod eo loco, ſub Monte Albano, antiquiſſimis ab uſque temporibus, fanum fuerit Fabiæ deæ, ſive Nymphæ, dedicatum; ubi fovea fuit in qua eadem Nympha, Fabiorum ma-

ter ex Hercule facta fuerat. Ibi ab Fabiæ cultoribus excitatum oppidum *Fabium*, ex quo *Fabienſes populi in Monte Albano* Plinio commemorantur. Quia tamen Fabularum, ſcilicet mendaciorum, inſtabilis ſemper doctrina & narratio fuit; alii hanc feminam, non *Fabiam*, ſed *Faulam*, aut *Fovviam* nominaverunt. & Fabios ab ea genitos *Fovvios* primum appellatos, contendunt. Rurſum Fabios non de Fabia, prima ſtirpis parente, ſed a *fabarum ſatione* dictos exiſtimant; quod ex hac familia, quæ *Fovviorum* primitus dicebatur, aliquis multus & excellens in fabarum ſatione & cultura, ſive etiam comeſtura fuerit. quemadmodum certe ſæculis a nobis minus remotis contigiſſe ajunt Genti nobiliſſimæ Carrarienſium ſive Carrigerorum urbis Patavii dominæ, ex qua familiæ *Papafavva* prodierunt ea occaſione, quod Carrarienſis quidam puer Marſilius apud clauſtrales religioſos viros educatus, fabarum eſu, cui a teneris aſſueverat, frequentiſſimo delectaretur. Eſt enim Etruſcis *pappare*, & Venetis una litera *p* demta de more, *papare*, comedere cum ſapore & oblectatione copioſe. Certe, quod Fabia Romana gens ex *fabis* nomen mutuaverit, inde quoque poſſumus probabiliter conjectari, quod & *Piſones*, & *Lentulos*, & *Ciceröes* ab *piſis*, *lentibus*, & *ciceribus* antiqui ſcriptores, denominatos fuiſſe, paſſim teſtificentur. Hac tamen in *Fabiis* origine nominis admiſſa, ſive omiſſa potius, adhuc illos primam originem a *Fabia* ſeu *Fovvia*, Nympha ſeu diva Albana traxiſſe, contendunt illi qui in Plinii interpretatione *Fabienſes* in Monte Albano *Fabii* oppidi ibidem ſiti colonos fuiſſe meminerunt. Ajunt enim, a *Fovvia* Nympha ab Hercule compreſſa *Fovviam* gentem exortam, quæ poſtea de *fabis* mutuato nomine, *Fabia* pro *Fovvia* dicta fuerit.

c *ad Lib.* 3. *cap.* 5.

Quod

Quod autem *Fovia* primitus diceretur, ex *fovea* ſub Albano Monte, unde prima ſtirpis origo, deductum. Feſto nihilominus aliud quoque vocabuli principium proponente, ſub dubio tamen; ſcilicet, *Fovios* dictos, quod primi modum lupos & urſos per occultas *foveas* capiendi monſtraverint. Denique Fabiam ipſam gentem, *Flaviam* primum appellatam, ex *flavo* vultus & capillorum colore, deinde *Fabiam* ex *fabis*, quoſdam commentos fuiſſe, non ignoramus. Quidquid tamen de incertiſſimis iſtis vocum originibus; id extra omnem dubii aleam eſt collocatum; a Fabia gente Fabiam tribum denominatam, quemadmodum a *Cornelia Corneliam*, a *Publilia Publiliam*, aliaſque de præclaris aliis familiis cognominatas fuiſſe, certo ſcimus. Tribus enim vel a loco ubi primum fuerant conſtitutæ atque adunatæ, vel a gentibus & familiis numeroſiſſimis & maxime propagatis, ex quibus primitus componebantur, denominatæ fuerunt. Fabium autem oppidum in Monte Albano certe fuit, ex quo *Fabienſes* populi ſeu *Fabiani*. Cum igitur Fabia tribus ex ruſticis una fuerit (nam urbanæ tantum, Palatina, Collina, Exquilina, Suburrana, quatuor iſtæ fuerunt), eam Fabiam tribum in Fabio Montis Albani oppido primam originem habuiſſe, credibile eſt. quod in Fabiorum ditione forte fuit. Ex Fabia tribu Cæſar *d* Auguſtus exſtitiſſe, a Suetonio memoratur, ajente, illum tribulibus ſuis Fabienſibus beneficia & munera impertiviſſe. Cum autem ibi Suetonius & Scaptienſes Auguſti tribules, ſeu contribules nominet cum Fabienſibus; hinc torti ex duplici hac tribu interpretes, Octavium, *origine* tribus Fabiæ, *adoptione* autem Scaptiæ tribus fuiſſe, commenti ſunt; nullam tamen effati rationem ultra reddentes. Nos ve-

d in Auguſto.

ro; ſi obſcuris hiſce quammaxime in rebus ulterior inveſtigatio non ſit contemnenda; inde id factum ſuſpicamur, quod gens Octavia, ex qua Auguſtus, & Velitris & Tuſculi olim conſederit. Porro Velitræ & Ulubræ, apud quas fuit educatus Auguſtus, in regione Albana cum eſſent, Fabiæ tribui aliquando accenſeri potuerunt. Tuſculum vero Scaptiæ, quæ ab hujus nominis oppido in agro Tuſculano, ſic dicebatur, fuerit aggregatum. Ex tribu Fabia plures Patavinas antiquas familias fuiſſe, conſtat de vetuſtis Lapidibus apud Sertorium Urſatum in Opere Poſthumo Marmorum Eruditorum. Unde clariſſimus idem Auctor colligit, Patavinos, in univerſum, Fabiæ tribui fuiſſe accenſitos. De tribu Fabia Romæ præpotente ac præpollente, inter ceteros Horatius, de candidatis tribules prenſantibus & ambientibus *e* locutus:

e *Sat.* 6. L. 1.

Hic multum in Fabia valet, ille Velina;
Cuilibet hic faſces dabit; eripietque curule
Cui volet, importunus ebur.

Jam vero & *Mæcia* tribus in regione Albana fuit. Additam ceteris cum Scaptia ſimul, *f* Anno U. C. CCCCXXV. Livius prodidit. Quam a Mæcio Latii oppido in Albana provincia ſito nomen & originem traxiſſe, certum eſt. Ex hac tribu nomen forte deſumſerit aliquando Romæ Porta Exquilina, quam Antiquarii & *Mæciam* aſſerunt denominatam.

f *Lib.* 8.

g *Caſin.* 2. 6. 2. De illa Plautus: *g*

CH. *Ille, ædepol, videre ardentem extra portam*
Metiam
CL. *Credo, ædaſtor, vellet.*

h 1. 3. 97. & in Pſeudolo: *h*

PS. *Jam hic ero: verum extra portam Metiam*
currendum eſt prius.

Ex-

Extra hanc portam cadavera comburebantur, & plebis erant ſepulcreta communia *Pantolabo ſcurræ Nomentanoque nepoti*, ut ait Horatius. ibidem quoque in crucem noxii agebantur: unde Plautini iſti, ad hæc reſpicientes, ſervi jocabantur. verum quidem eſt, aliter *Metiam* portam, aliter tribum *Mæciam* ſcriptam, a nobis legi; cum tamen id inconſtans atque inſtabile fuerit; nominis utriuſque origo eadem fuiſſe, merito exiſtimari poterit. *Mæcius* autem ſive *Metius* nomen Albanum fuiſſe, ſcimus, Dictatoris nempe Albanorum, qui Albanis Regibus in Latinorum regno ſucceſſerat, ſuffectuſque fuerat; ob id forte dictus *Metius Suffetius*; quamquam aliis *Fuffetius* fuerit appellatus. Sub quo Albanorum regnum deſiit; & ipſe duplicis fidei, ac proditionis in Romanos meditatæ pœnas ab quadrigarum equis in diverſa concitatis raptatus, atque diſcerptus, memorabiles poſteris omnibus proditoribus dedit. Porro ex his aliiſque circa regionem Albanam tribubus liquet, eam populoſiſſimam, etiam Albanorum deleto regno, & Longa Alba exciſa, tamen perſeveraſſe. Quæ colonorum frequentia Albanos campos pleniſſimos frugum effecit. De quibus *i* Dionyſius: *Subjecti ſunt urbi campi amœnitate admirandi, omnis generis frugum fertiliſſimi, nec ulli cedentes Italiæ agro, præcipue bonitate vini ſuaviſſimi, quod Albanum vocant, præcellens omnibus aliis, ſi Falernum excipias.* Plura tamen fructuum, maxime vero ficuum & nucum juglandium, genera, quæ Plinius *k* in Albenſi Agro advecta memorat ex Syria a L. Vitellio, ſub imperio Tib. Cæſaris, ad Albæ Fucenſis in Marſis agros ſpectare, credimus; cum illius urbis incolæ, & agri *Albenſes* fuerint denominati. Quemadmodum & illa *l* ex Julio Obſequente, ſcilicet: *Ex Alba duos*

i *Lib.* 1.

k *Lib.* 15. *C.* 19.

l *De Prodigiis.*

So-

Soles visos, referebant. quoties enim proximus narrationis contextus, de Albanæ regionis rebus sermonem esse, apud veteres auctores, nobis legentibus clarissime non ostendit; toties, ubicumque *Albæ* mentio fit, de Alba *Fucente* vel *Fucense* aut *Fucentia* juxta *Fucinum* Lacum, unde cognomen, apud Marsos, eos esse intelligendos, vehementer suspicamur. quod & in superioribus inculcavimus non semel, adversus eos qui, Albanum oppidum nunc exstans, eodem loco quo Albam Longam olim, conditum esse, existimarunt; contra optimorum fidem Historicorum, qui dirutam Albam ab Tullo Hostilio Romano rege, neque umquam in eadem sede restitutam memoriæ prodiderunt. Illa quidem Albanæ nostræ regioni prodigia adjudicanda quæ idem Obsequens contigisse meminit; scilicet Albanam aquam aliquando cruentam fluxisse visam; & Albanum Montem noctu ardere conspectum; & si qua nobis indicta hactenus, in vasto superstitiosorum & credulorum veterum scriptorum oceano, fabulosa ut plurimum, reperiantur, quæ *Albanis* contigisse memorentur.

Antequam susceptum hic de Albana provincia sermonem absolvamus; de oppidis Verrugine & Ecetra nonnihil est differendum. Fuisse quidem illa Volscorum accepimus; at, intra Veteris Latii fines constituta num fuerint, dubitari tamen nonnihil posse videtur. Certe Cluverius *m* in Veteris sui Latii Tabula, post Albanum Montem, haud ita procul ab Algido, eadem constituit. Quare, quamquam de iis in Algidensium rebus narraturi simus; illud in præsens non omiserimus, hæc oppida Albanæ fuisse, si non subjecta olim, confinia tamen certe & contermina provinciæ. De Verrugine Livius Libro quarto,

m *Ital. Antiq. L. 5.*

to, *Læti*, inquit, *audiere Patres, Volſcos Æquoſque ob communitam Verruginem fremere*. & Valerius Maximus, [n] *C. Sempronio Atratino*, inquit, *Conſule cum Volſcis apud Verruginem parum proſpere dimicante, ne acies noſtra jam inclinata propelleretur, equis delapſa iuventus Romana, ſe ipſam centuriavit, atque hoſtium exercitum rupit*. Conſulatum geſſit Atratinus anno U. C. CCCXXXII. cum Q. Fabio Vibulano collega. Profecto, ex ea hujus pugnæ narratione quæ eſt apud Livium, Verruginem ad Volſcos quidem ſpectaſſe cognoſcimus; verum a Via Lavicana haud ita procul fuiſſe, & circa Albani Montis radices, prope Arcem Carventanam, quam in Albana regione fuiſſe memoravimus. Ait enim inter cetera Livius: [o] *Cum hæc* (Romæ) *agerentur, jam Via Lavicana ad Fanum Quietis erat. eo miſſa jumenta plauſtraque alia ab Urbe exercitum adfectum prælio ac via nocturna excepere*. Neque poſt multa, ſubdit: *Nuncii veniunt, Arcem Carventanam, dilapſis ad prædam militibus, qui in præſidio erant, Æquos, interfectis paucis cuſtodibus arcis, invaſiſſe*. Mox: *Conſules ambo profecti ſint ad Arcem Carventanam, an alter ad Comitia habenda ſubſtiterit, incertum diverſi auctores faciunt. Illa pro certo habenda in quibus non diſſentiunt; ab Arce Carventana, cum diu nequicquam oppugnata eſſet, receſſum. Verruginem in Volſcis eodem exercitu receptam; populationeſque & prædas & in Æquis & in Volſco agro ingentes factas*. Deinde: *Tribuni militum* (Conſulari poteſtate) *creati ſunt L. Furius Medullinus, C. Valerius Potitus, Cn. Fabius Vibulanus, C. Servilius Hala*. Mox: *Et in Volſcis accepta clades, amiſſo Verrugine præſidio*. Libro etiam quinto ſæpe Livius de Verrugine meminit; ut cum ſcribit: *Imperatores Romani fuere ex Tribunis militum C. Æmilius & Sp. Poſtumius. primo rem communiter geſſerunt. fuſis inde acie hoſtibus, Æmi-*

n *Lib.* 3. *cap.* 2.

o *Lib.* 4.

milium præſidio Verruginem obtinere placuit, Poſtumium fines vaſtare. ibi eum incompoſito agmine negligentius ab re bene geſta euntem adorti Æqui, terrore injecto, in proximos contulere tumulos: pavorque inde Verruginem etiam ad præſidium alterum eſt perlatus. Exiguo poſt: *Et hoſtes nocturnam fugam ex tumulo Romanorum, ut ab ea via quæ ferebat Verruginem, excluderent, fuere obvii. prœliumque ante lucem commiſſum eſt: & haud incertius diurno prœlium fuit. ſed clamor Verruginem perlatus, quum caſtra Romana crederent oppugnari, tantum injecit pavoris, ut nequidquam renitente, atque obſecrante Æmilio, Tuſculum palati fugerent.* Ex quibus omnibus prudenter cum Cluverio colligimus, Verruginem oppidum Volſcorum quidem fuiſſe, juxta Algidum Æquorum poſt Albanum Montem, ſi non intra fines Veteris Latii, in limite certe ipſius conſtitutum. quod ſcriptores varii, Græci præſertim, varie pronunciarunt; nam & *Vurruginem*, & *Varruginem*, *Verrucam* denique & *Errucam* apud *p* Diodorum nominatum idem invenimus. Huic proximum fuiſſe videtur *Echetra* ſeu *Ecetra*, & *Ecetræ*, cujus cives & populi *Echetrani* ſive *Ecetrani* ſcriptoribus nominantur. Corrupte etiam apud Stephani Breviatorem *Echetia*, & *Echetiani* dicti ſunt. Volſci nominis illud quoque exſtitiſſe, conſtat. Dionyſius: *q Volſcorum duo tantum populi adſenſerunt; Echetrani atque Antiates.* ſcilicet Tarquinio Latinorum potito, & Hernicos Volſcoſque captanti. Livius etiam in Conſulatu Ap. Claudii Sabini, & P. Servilii *r* Priſci: *Ecetranorum Volſcorum Legati.* Et Dionyſius: *ſ Poſcebant Volſcorum Ecetranorum agrum.* Livius iterum: *t Itaque Æqui ab Ecetranis Volſcis præſidium petiere.* & infra: *Ecetræ Antiates colonos palam concilia facere; id caput, eas vires belli eſſe.* Dionyſius autem Libro octavo, mediam inter Volſcorum populos E-

p *Diodor. Sic. Lib.* 4.

q *Lib.* 4.

r *Lib.* 2.

ſ *Lib.* 6.

t *Lib.* 3.

ce-

cetram fuiſſe, ſignificavit. ait quippe: *Convenerunt undique honoratiores pariter, & magna reliquæ turbæ multitudo Echetram; hæc quippe urbs ad ceterarum comitia aptiſſimo loco ſita eſſe videbatur.* Quare longius fuit, quam Verrugo, ab Albana provincia, & certo certius extra Veteris Latii fines; fortaſſe circa loca ubi nunc *Monte Fortino*, & ejus ager. Circa quæ *Corbionem* quoque *Artenam* & *Hortanam* conſtituunt Geographi veteres. Ac proinde eorum monumenta, quæ Cluverius perſequitur ſingillatim, cum *extra* atque *ultra* fines regionis noſtræ quam illuſtrandam ſuſcepimus, longe abfuerint; diutius hic a nobis & enucleatius deſcribenda non erunt.

Cruſtumium tamen, oppidum Latinorum ſive Sabinorum juxta Latinos fines vetuſtiſſimum, ab Albanis conditum, accepimus; quod expugnavit Romulus: quodque nihilominus extra Albanam provinciam priſcis ſæculis exſtitiſſe videtur, circa Tiberis & Anienis confluentes, haud ita procul ab Cænina & Atenna urbibus eodem bello ſimul cum Cruſtumio ab Romulo exciſis. De hoc Dionyſius: *u Hanc quoque urbem* (Cruſtumium) *Romanorum fecit* (Romulus) *coloniam. Erat Cruſtumium ab Albanis multis ſæculis antequam Roma, conditum.* Hinc *pyra Cruſtumina* ſive *Cruſtumia* antiquis celebrata; quæ occaſionem dederunt nonnullis, ſitum fuiſſe olim Cruſtumium exiſtimandi circa oppidulum recens *Palombara* prope Tibur in Sabinis, quod fertile pyris eſt. Quam tamen opinionem ſolido nullo fundamento ſtabilire quis poteſt.

u *Lib.* 2.

FINIS LIBRI DUODECIMI.

VETUS LATIUM PROFANUM

LIBER DECIMUSTERTIUS

DE ARICINIS

AUCTORE

JOSEPHO ROCCO VULPIO

SOC. JESU SACERDOTE.

CAPUT I.

De Ariciæ urbis ſitu, Conditore, atque Agro.

POST Albanum Pompeji, pergentibus Appia Via vetuſtiſſimum, ac profanis religionibus celebratiſſimum oppidum occurrit, ad ſiniſtrum viæ latus, *Aricia* nomine. Quamquam autem Aricinam antiquam urbem in convalle ſub hodierno oppido *l'Aricia*, aut vulgatius *la Riccia* appellato, conſtitutam fuiſſe, ſcriptores memorent, & veſtigia veterum ædificiorum adhuc ibidem exſtantia confirment; oppidum tamen quod noſtra

ætate permanet, pars fuit antiquæ Aricinæ urbis, ejuſque ſitus pro arce, utpote natura ipſa loci ſatis munitus, antiquis civibus eſt adhibitus. Quod celebratiſſima fuerit urbs, hinc apparet; quamplurimis enim auctoribus, Græcis Latiniſque Hiſtoricis, Oratoribus, ac Poetis, cum laude memoratur. Ac præcipue, Ciceroni, Virgilio, Horatio, Livio, Dionyſio, Columellæ, Straboni, Plinio, Lucano, Silio, Martiali, Juvenali, Tacito, Pædiano, Ptolemæo, Philoſtrato, Solino, Servio, Stephani Breviatori, & Itinerariis Tabulis antiquis. Oppidani unice *Aricini* ſemper dicti ſunt. Situm urbis pulchre Strabo deſcripſit: *a* Μετὰ δὲ τὸ Ἀλβανὸν ὄρος Ἀρικία ἐστὶ πόλις ἐπὶ τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ: σάδιοι δ' εἰσὶν ἐκ τῆς Ῥώμης ρξ'. κοῖλος δ' ἐστὶν ὁ τόπος· ἔχει δ' ὅμως ἐρυμνὴν ἄκραν. *Poſt autem Albanum Montem, Aricia eſt urbs, ſuper Via Appia. Stadia autem ſunt ex Roma centum ſexaginta; concavus autem eſt locus. arce vero edita & natura loci munita.* In hac tamen deſcriptione mendum irrepſiſſe, in Aricinæ urbis ab urbe Roma diſtantia adſignanda, manifeſto deprehenditur. Stadia enim centum ſexaginta, quæ Strabonis codex habet, viginti mille paſſus antiquos efficiebant. Cum Aricinæ veteris urbis ſpatium, etiam ſi latiſſime acceperis, non ultra decimum ſextum ab Urbe Lapidem, certo certius excurrerit. Quod & ex recentis oppidi ſitu in ruinis antiquæ Aricinæ arcis excitati, & ex ruderibus Ariciæ veteris in convalle exſtantibus, ex Lacu denique, & Dianæ Aricinæ Nemore plane conſtat. præter clara veterum teſtimonia. In quibus Dionyſius *b* quindecim tantum milliaria hanc urbem Roma diſtaſſe prodidit. ait enim: Συντυγχάνουσιν ἀλλήλοις ἀγχοῦ πόλεως Ἀρικείας, ἣ διέχει σταδίους ἑκατὸν εἴκοσι ἀπὸ Ῥώμης. *Occurrerunt ſibi invicem ad urbem Ariciam, quæ diſtat ſtadia centum viginti ab Urbe.* Porro ſta-

a *Lib.* 5.

b *Lib.* 6.

ſtadia centum viginti conficiunt non plus milliariis veteribus Romanis quindecim. Huic etiam Philoſtratus ſic conſentit: c Ἐν τοιαύτῃ καταςάσει φιλοσοφίας ὄσης· ἔτυχε ἀφοσιὼν τῇ Ῥώμῃ ὁ Ἀπολλώνιος. ςάδια δ' εἴκοσι ἢ ἑκατὸν ἀπέχων, ἐνέτυχε τῷ Φιλολάῳ τῷ Κιτιεῖ περὶ τὸ Νέμος τὸ ἐν τῇ Ἀρικίᾳ. *Dum hoc in ſtatu Philoſophia eſſet; Apollonius Romam profectus eſt. cumque ſtadia centum viginti abeſſet; incidit in Philolaum Cittienſem ad Nemus quod apud Ariciam eſt.* His Itinerariæ antiquæ Tabulæ, Hieroſolymitana, & Antonini, aliud milliare addiderunt. Hieroſolymitana ſic: *Urbe Roma ad Nonum IX. Aricia & Albano VII.* Antonini vero ſic: *Roma Ariciam m. pl. m. XVI.* ſcilicet *milliaria plus minus ſexdecim*. At Cluverius Roma *d* Ariciam uſque milliaria antiqua non plura quam tredecim numeraſſe ſe, teſtatus eſt. Quod tertiæ cuidam Itinerariæ antiquæ Tabulæ congruere notavit, quæ ſic habet: *Roma, Via Appia, Bobellas X. Aricia III.* Et Lucani verſibus confirmari poſſe, putavit, ajentis: *e*

c *In vita Apollonii Tyanæi.*

d *Ital. antiq. L. 3. p. 916.*

e *Lib. 6.*

At tantum ſepti vallo ſibi vindicat agri,
Parva Mycenææ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelſa Nemoralis Aricia Roma.
Quoque modo Romæ prælapſus mœnia Tibris
In mare deſcendit, ſi nuſquam torqueat amnem.

Ait enim Cluverius, idem hic accidere ad Ariciam quod apud Oſtiam. nempe cum Oſtia Tiberis amnis, qua is in mare exit, ſexdecim ab Roma abeſſent paſſuum millia; ab iis autem oppidum *Oſtia*, quod tria milliaria ſupra mare ad ſiniſtrum amnis alveum eſt conditum, nomen traxiſſet: ad ipſum hoc oppidum plerique ſexdecim computabant mille paſſus; ut, ubi de Oſtienſibus, oſtenſum eſt. Sic cum in Aricino agro apud Appiam Viam, milliariis duobus ultra Ariciam, Nemus & Lacus Dianæ

næ Aricinæ, de quibus infra quamplurima referemus, ſita eſſent; atque hæc clariora etiam & celebriora ipſo oppido Aricia forent; hinc vulgo ad Ariciam Roma quindecim alii, alii vero ſexdecim quoque milliaria computaverunt. Profecto ſingulis his ſententiis ſua veritas reſpondebit, ſi diverſa ab illis loca pro *Aricia* accepta, perpenderis. Qui enim, Ariciam Roma diſtare paſſus tredecim mille, dicebant; ii pro *Aricia* urbem ipſam Aricinam intelligebant. qui autem, Ariciam mille paſſus quindecim Roma diſtare, meminerunt; *Aricinum Lacum* hodie *Lago di Nemi* pro *Aricia* acceperunt. Qui tandem, Ariciam ſexdecim ab Urbe milliaria diſtaſſe ſcripſerunt; hi de *Nemore Dianæ Aricinæ*, nunc *Nemi* oppido, locuti videntur. Siquidem hæc omnia demum, aliquando veteres, *Ariciam* nominantes, intellexere. Et re vera, euntibus Appia Via, poſt locum antiquæ urbis Aricinæ, ſub recenti oppido, quod partem ejus fuiſſe diximus, ex Cluverio tredecim paſſuum millia, ab Roma diſtantem, duobus confectis milliariis Lacus Aricinus occurrit. inde vero ſiniſtrorſum per diverticulum flectentibus, poſt circiter paſſus antiquos mille, Nemus apparet, quod & *Artemiſium* a Græco Dianæ vocabulo Ἄρτεμις eſt nominatum. hodie *Nemo*, vel, ut vulgatius, *Nemi*. Ad hæc Holſtenius obtrectans, *f* Ariciæ oppidum antiquitus millia paſſuum quindecim juſtiſſime Roma diſtaſſe, quovis pignore contendit; (quot certe præſens oppidum diſtare videmus, Lapidibus milliariis conſtitutis) aitque, hac diſtantia, in convalle, qualis Straboni deſcribitur, locum eſſe concavum vetuſtis ædificiorum veſtigiis frequentem, qui denique in collem deſinit, in quo arcem Aricinam antiquitus conſtructam autumat. Tabulas vero, *tredecim milliaria*

f In Notis ad hunc Cluv. loc.

ha-

habentes, emendandas esse, & vulgi opinionem doctorum calculo, & locorum ipsorum inspectione corrigendam. Rursum, qui, sexdecim milliaria veterem Ariciam Roma distasse, scripserunt; hos deceptos in stadiorum computatione; nam, Romano Imperio jam decrescente, septem stadia cum dimidio unum milliare confeciisse; cum antea Augusti ævo, octo stadia in singula milliaria computarentur. Quid nos? non nostrum est inter tam doctos viros tantas componere lites. Cluverio tamen ut constanter adhæreamus, præter ea quæ de diversis hujus vocis *Aricia* acceptionibus, eodem ex eruditissimo diligentissimoque auctore, huc protulimus, nomen ipsum recentis oppidi, (quod semper apud me valebit plurimum, & apud æquum quemlibet harum Antiquitatum æstimatorem valere debet) antiquo simillimum, immo vero, si recte pronuntiaveris ac descripseris, idem omnino cum illo *L'Aricia*, vi quadam ineluctabili facit. Ceterum, & illud quod Valerius Maximus narrat, lepidum factum Cluverii sententiam confirmat; non unum in agro Aricino locum *Ariciæ* nomine antiquitus vulgo intellectum fuisse. g Ait enim Valerius: *Quidam furti damnatus est, quod equo, cujus usus illi usque Ariciam commodatus fuerat, ulteriore ejus municipii clivo vectus esset.* scilicet hujus equi conductor, locum, etiam ultra municipium Aricinum, *Ariciam* vocari, noverat; adeoque equum, *jure commodati*, ultra illum clivum ducere se posse, non dubitavit. Verum de Ariciæ urbis situ hactenus. Nunc de ejusdem Conditore dicendum. Illum unicus Solinus, veteres inter scriptores, quos quidem ego legerim, nominavit. Ait enim, libro octavo, Ariciam ab Archilocho Siculo conditam, & hoc in loco Orestem Dianæ signum collocas-

g *Lib.* 8.

caſſe. quo teſtimonio, Cluverii ſententia de multiplici hujus vocis *Aricia* acceptione pariter confirmatur; cum Oreſtes non quidem in ipſo oppido *Aricia*, verum in *Nemore*, duobus inde milliariis, Dianæ ſimulacrum, ut ex dicendis conſtabit, collocaſſe tradatur. Ceterum, ſumma fuerit hujus oppidi vetuſtas: ut quod ante Aboriginum ac Pelaſgorum ſive ante Latinorum in has oras immigrationem ab Siculis conditum fuit. ſcilicet ante natum JESUM annis amplius mille quingentis tredecim. nam circa hoc tempus, Pelaſgos in Italia Aboriginibus ſeſe conjunxiſſe, Siculoſque hiſce ſedibus expuliſſe, plurium calculus conficit. Et hæc quidem de urbis Aricinæ Conditore Archilocho Siculo certiora videntur. Non defuerunt tamen alii, qui Aricinæ urbis originem ad fabuloſos Conditores referrent; nempe ad Hippolytum Theſei & Hippolytæ Amazonum reginæ filium. quem Atticam puellam, *Ariciam* dictam, caſte dilexiſſe memorant; de cujus nomine, poſtquam Æſculapii ope in vitam eſt revocatus, & Virbius factus, adque Italiæ hanc oram appulſus, oppidum Ariciam condiderit. Verum hæc incertiſſima & fabuloſa, nulloque idonei auctoris teſtimonio ſubnixa, de Aricinæ urbis Conditore fama eſt. De Hippolyto quidem apud Aricinum Nemus ſimul cum Diana ſub Virbii nomine culto, multus apud veteres ſcriptores ſermo. noſque quæcumque in rem noſtram erunt, infra ſingula recenſebimus. De fundata tamen ab illo Aricia urbe, deque puella *Aricia*, ejus ſive amaſia, ſive conjuge, altiſſimum fere apud omnes ſilentium. Quando autem Ariciæ nomine *Nemus* ipſum *Aricinum* venire nonnumquam, diximus, & de illius origine hic aliquid inveſtigandum.

dum. Itaque *Nemus* oppidum quod hodie *Nemi*, vel *Nemo* dicitur, ab celeberrimo Dianæ Aricinæ templo ſuam originem traxit, & nomen item. Originem quidem ex eo, quod cum ad Dianæ Aricinæ templum frequentiſſimi Latinorum undique populorum concurſus fierent, paullatim circumforanei propolæ, ut fit, eodem merces ſuas ut diſtraherent, convenire cœperunt. Mox ut lucri major in dies ſpes affulſit, ſedem quoque ſtabilem, teſquis & caſis excitatis, quibus tempeſtatum utcumque propulſarent injurias, fixerunt. Incrementa deinde alia loco addita; cœmentitiiſque ædificiis etiam munitus eſt. Villis denique Romanorum magnificentiſſimis, quas inter Julii Cæſaris conſpicua fuit, aliquando eſt ornatus; quarum veſtigia non uno ſitu adhuc remanent. Nomen vero ab Dianæ Aricinæ Nemore ſive Luco, in cujus medio hoc oppidum conſtructum eſt, mutuavit, ut *Nemus Dianæ Aricinæ* ſeu *Nemus Triviæ* vel tandem ſine addito *Nemus* per excellentiam appellaretur. Imminet Lacui *Nemorenſi* ſive *Dianæ* vocato, quem eruditiores etiam *Speculum Dianæ* vocatum ſcripſerunt. hodie *Lago di Nemi*, aut *Lago di Genzano*. hæc enim duo oppida, Nemus atque Cynthianum, in ſumma Lacus crepidine apparent ædificata. Oppidi Nemoris incolæ conſtanter apud veteres *Nemorenſes* vocati ſunt. Ceterum, hæc loca antiquis ſuperſtitionibus religioſiſſima & celebratiſſima diu fuerunt. Quamquam poſt Romam conditam auctumque Romanum Imperium opibus ac potentia, admodum imminuta. Ariciam quidem Horatius parvam fuiſſe videtur innuere; ait namque:

Egreſſum magna me excepit Aricia Roma
Hoſpitio modico. h

h *Satyr.* 5. *l.* 1.

tamquam ſi Romanæ magnitudini Aricinæ urbis tenuitatem de induſtria voluerit opponere. Lucanus vero: *i*

i *Lib.* 6.

Parva Myceneæ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelſa Nemoralis Aricia Roma.

In exiguum redacta nimirum ab vicinis Romanis fuit, qui, maris inſtar, vel regia ipſa flumina, tot ſcilicet ingentia oppida, adeo abſorbuerant, ut vix ipſum nomen jam retinerent. Marius certe Ariciam una cum Lanuvio & Antio, quod Sullanæ factionis Coloniæ *k* forent, devaſtaſſe, atque adeo ferme ſuſtuliſſe, dicitur. Fuit nihilominus Aricinum municipium nobiliſſimum, utpote quod Romanis Reipublicæ atque Imperio clariſſimas familias fortiſſimoſque cives ſuggeſſerit. Quos inter Atii fuerunt, maternum Auguſti Cæſaris, orbis terrarum domini, genus. Quamvis autem ob id Octavius idem ab æmulo, atque adeo hoſte, Antonio carperetur, deſpectuique haberetur, quod materno genere Aricinus eſſet; habuit tamen tum Cæſar tum Aricinum municipium Ciceronem laudatorem; qui *l* utriuſque nobilitatem in ætates omnes apud poſteros reddidit immortalem. Ait namque: *Ignobilitatem objicit C. Cæſaris filio, cujus etiam naturalis pater, ſi vita ſuppeditaſſet, Conſul factus eſſet. Aricina mater. Trallianam aut Epheſiam putes dicere. Videte quam deſpiciamur omnes qui ſumus e municipiis, ideſt, omnes plane. quotus enim quiſque non eſt? Quod autem municipium non contemnit is qui Aricinum tantopere deſpicit, vetuſtate antiquiſſimum, æquo jure fœderatum, propinquitate pæne finitimum, ſplendore municipum honeſtiſſimum? Hinc Voconiæ, hinc Scantiniæ leges. Hinc multæ Sellæ Curules, & Patrum memoria, & noſtra. hinc Equites Romani lautiſſimi, plurimi, & honeſtiſſimi. Sed ſi Aricinam uxorem non probas, cur probas Tuſcu-*

k *Flor. Epitome Liv. Lib.* 80.

l *Philip.* 3.

sculanam? Quamquam hujus sanctissimæ fœminæ atque optimæ pater M. Atius Balbus in primis honestus Prætorius fuit. tuæ conjugis, bonæ fœminæ, locupletis quidem certe, Bambalio quidam pater, homo nullo numero. Nihil illo contemtius, qui propter hæsitantiam linguæ stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. & paucis omissis: *Qui autem convenit, ut Julia natus ignobilis videatur, cum tu eodem materno genere soleas gloriari?* & infra: *Sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinæ filiam: quos certo scio dignitatis optimarum fœminarum non pœnitere.* En quomodo M. Antonii in Octavium Cæsarem maledicta tantam materni Aricini ejusdem generis a M. Tullio commendationem elicuere. Iis maledictis debemus Aricinæ urbis præclarissimum Tullianum hoc testimonium. Neque umquam Antonius, si Aricinum municipium laudasset, in tantam illud gloriam apud posteros omnes extulisset; in quantam idem carpendo, ac despiciendo conviciis, evexit. Ceterum, inter mediterranea Veteris Latii oppida recensetur ab Ptolemæo Aricia. *m Latinorum mediterranea oppida Præneste, Tusculum, Aricia, Ardea.* Agro fuit cultissimo & amœnissimo, & ex felicioribus Latii. Unde Cicero in Oratione de Lege Agraria contra Rullum, ad populum, Lanuvium, Ariciam, Tusculum, tamquam oppida totius Latii felicissimis arvis ditata, nominavit. Sterilem tamen Aricinum agrum aliqua parte fuisse, quod Plinius memorat, significare videtur: *n Reperitur apud auctores, subjectis Ariciæ arvis si carbo deciderit, ardere terram. Hæc res tamen jamdudum exolevit; quæ proculdubio terræ nimiam siccitatem nimiumque calorem, ac proinde infelicitatem ostendebat.* Porri Aricini apud veteres commendatissimi. De his Plinius: [o] *Laudatissimus in Ægypto; mox Hostiæ atque Ariciæ,*

m *Geograph. lib. 3. Europ. tab. 6.*

n *Lib. 2. c. 107.*

o *Lib. 19. c. 6.*

ciæ. Et Columella caules ſimul & cymata Aricini agri celebrans: *p*

p *Lib.* 10. *de Re R.*

Brutia quæ tellus, & mater Aricia porri.

Martialis vero diſertius: *q*

q *Lib.* 13. *Ep.* 19.

Mittit præcipuos Nemoralis Aricia porros;
In niveo virides ſtipite cerne comas.

Celeberrima tamen Aricini agri pars Nemus fuere & Lacus Dianæ ſacra. De Nemore nomen ſibi familiare traxit Aricia. *Nemoralis* enim ſæpe ab ſcriptoribus fuit appellata. Nam, præter Martialem modo recitatum, Ovidius: *r*

r *Faſt. L.* 6.

Inſpice quos habeat Nemoralis Aricia faſtos.

& Lucanus: *ſ*

ſ *Lib.* 6.

Parva Myceneæ quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelſa Nemoralis Aricia Roma.

Ad Aricinos quoque pertinentia, puta templum Dianæ, domus Egeriæ, ſive fons & antrum, ſtagnum ſeu lacus, *Nemoralia* & ipſa ſunt appellata. De templo Ovidius: *t*

t *De Art. L.* 3.

Ecce ſuburbanæ templum Nemorale Dianæ.

De domo Egeriæ Statius carmine *u* quo Tiburtinum Manlii Vopiſci ſummis laudibus extollit:

u *Silv. L.* 1. *Carm.* 3.

Hæc domus Egeriæ Nemoralem abjungere Phœben,
Et Dryadum viduare choris algentia poſſit Taygeta.

De ſtagno ſive lacu *x* rurſum Ovidius:

x *Metam. L.* 14.

Quæque colunt Scythicæ ſtagnum Nemorale Dianæ.

Eodem ex Nemore præcipua ſui parte Aricinus ager dictus eſt etiam *Nemorenſis*, & Lacus pariter. De agro Suetonius in Julio Cæſare: *y Munditiarum lautitiarumque ſtudioſiſſimum, multi prodiderunt. Villam in Nemorenſi, a fundamentis inchoatam, magnoque ſumtu abſolutam, quia non tota ad animum ei reſponderat, totam diruiſſe*. De Lacu vero Propertius: *z*

y *Cap.* 46.

z *Eleg.* 20. *lib.* 3.

Albanus Lacus & ſocii Nemorenſis ab unda.

De

De Agro denique Aricino, & ejus fertilitate sic quoque Horatius obiter: *a*

Emtor Aricini quondam, Vejentis & arui
Emtum cœnat olus (quamvis aliter putat) emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit jurgia; tamquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema
Permutat dominos, & transit in altera jura.

a *Ep.* 2. *lib.* 2.

CAPUT II.

De Dianæ Aricinæ Templo, Nemore, Sacrificiis, & Fabulis.

VASTISSIMUM nunc de Dianæ Aricinæ monumentis campum ingredior, singula huc, ut in locum, opportune adducturus. Fuit itaque ultra Aricinam urbem, in Aricinis collibus, qui Albano Monti ferme continui esse videntur, Nemus, Lacum in gyro circumdans; ad cujus marginem deorsum templum ab antiquissimis usque temporibus exstabat, Dianæ dedicatum. Hic deæ signum facem præferens intus positum, summaque religione consecratum. Cujus fabulosa talis historia. *a* Cum Græci raptum Helenæ ulturi, quam Paris Alexander Priami Trojani regis filius, sanctissimis hospitii legibus violatis, a Menelao viro sustulerat, in Auliden portum convenissent, mille navibus vela facturi ad Trojam; Agamemnon rex Mycenarum, Menelai frater, supremus Græcorum dux, Dianæ sacrum cervum occidit ignarus in venatione. Dea hinc irata, flatus ven-

a *Hygin. Mythologic. cap.* 261. *Serv. ad Æneid. L.* 2.

ventorum qui ad Trojam ducebant, impedivit omnes, atque continuit. Qua de re consulta per Calchantem divinum oracula, Agamemnonio sanguine, Iphigenia scilicet Agamemnonis filia immolata, placandam unice deam, responderunt. Quum ergo ab Ulysse, paterno amore moras usque & usque nectente, per nuptiarum simulationem, abducta Iphigenia in eo esset ut immolaretur; numinis miseratione sublata est; cerva in sacrificium loco puellæ supposita. Mox in Tauricam regionem translata, Thoanti regi tradita est; sacerdosque Dictynnæ Dianæ facta. Ibi, cum juxta priscorum morem institutum, humano sanguine numen placaret, agnovit fratrem suum germanum Orestem; qui accepto oraculo, depellendi furoris caussa, cum amico Pylade Tauros petierat. Et cum his, occiso Thoante, simulacrum Dianæ sustulit absconditum fasce lignorum (unde *Fascelis*, & *Fascelitis* Diana, ac præcipue Diana Aricina, dicta est; nec tantum *Facelitis* aut *Facelina*, a *face* qua cum pingitur, propter quam & *Lucifera* dicitur) & Ariciam detulit, urbem Latii antiquissimam, atque percelebrem. Cum signo deæ sacra quoque immania simul attulisse fertur. unde Taurico Scytharum more, humanis sacrificiis, diu apud Ariciam, Dianæ litatum est. sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas displiceret; quamquam servi immolarentur; ad Laconas Dianam translatam, ferunt: ubi sacrificii consuetudo adolescentum verberibus servabatur; qui vocabantur βωμονίκαι, quasi *in ara victores*; quia aris impositi, quis eorum plura posset verbera sustinere, contendebant. Orestis vero ossa ab Aricia Romam translata sunt, & condita ante templum Saturni, quod erat ante Clivum Capitolinum, juxta Concordiæ templum. Hæc fe-

re

re ex Hygino ac Servio Grammaticis concinnata & depromta. Quæ, ut pro veris acceperis, grammaticum tamen nugamentum de Aricinis ſacris ad Laconas translatis, omnino, ſi ſapis, rejicies. Quippe ſervi illi fugitivi qui ad Dianæ Aricinæ immolabantur, jugulari perrexere multis etiam ſæculis poſtquam ille mos antiquiſſimus apud Laconas inſtitutus fuerat. Eamdem fabulam Ovidius non uno loco tradidit. & Triſtium quidem Elegiarum libro quarto ſic: *b*

b *Eleg.* 4.

Nec procul a nobis locus eſt ubi Taurica dira
Cæde pharetratæ ſpargitur ara deæ.
Hæc prius, ut memorant, non invidioſa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna Thoantis erant.
Hic pro ſuppoſita virgo Pelopeïa cerva
Sacra deæ coluit qualiacumque ſuæ.
Quo poſtquam, dubium, pius an ſceleratus, Oreſtes
Exactus furiis venerat ipſe ſuis:
Et comes exemplum veri Phocæus amoris;
Qui duo corporibus, mentibus unus erant;
Protinus evincti triſtem ducuntur ad aram,
Quæ ſtabat geminas ante cruenta fores.
Et jam conſtiterat ſtricto mucrone ſacerdos,
Cinxerat & Grajas barbara vitta comas;
Quum vice ſermonis fratrem cognovit, & illi
Pro nece complexus Iphigenia dedit.
Læta deæ ſignum crudelia ſacra peroſæ
Tranſtulit ex illis in meliora locis.
O utinam venti quibus eſt ablatus Oreſtes,
Placato referant & mea vela deo!

Eadem ferme repetit Ponticorum tertio, Elegia ſecunda, ex perſona Scythæ cujuſdam ſenis hanc de Iphigenia Oreſteque ac Pylade fabulam ſibi denarrantis; nec tamen, quo ii ſignum Dianæ a Tauris

ris ſublatum detulerint, expreſſe meminit. In allatis nihilominus Triſtium verſibus, dum eo voto narrationem clauſit: *O utinam venti quibus eſt ablatus Oreſtes, Placato referant & mea vela deo!* ſatis innuit, in Italiam eos, & vero ad Latinas oras, circa urbem Romam, delatos fuiſſe; iis enim tantummodo ventis qui ad oras Latinas ferrent, auferri Ovidius vehementiſſime optabat. Quod & expreſſius ea voce *referant* ſignificavit. ea enim valet *reſtituant*, *rurſus ferant in locum unde fugere ſum coactus*; *Romam*; circa quam Aricia, & Nemus ac templum in quod ſignum Dianæ ab Oreſte cum ſociis eſt deportatum. Non ignoramus, ut inconſtans quam maxime fabularum pelagus ſemper fuit, ſignum id Dianæ alio translatum, auctores alios meminiſſe; quin immo eoſdem quoque, ut Hyginus, qui Ariciam id delatum ſcripſerant, mendacii oblitos, aliter rem memorare. Nos tamen id minime curamus. Non enim de rei aut facti ipſius veritate nunc ſumus ſolliciti; ſed de fama tantum, ac veterum opinione; quibus ſaltem ducti Dianæ in Aricino Nemore templum vere dedicaverunt, eique circumſitum Lucum conſecraverunt. De his, eorumque ſitu ſic *c* Strabo: *Poſt Albanum Montem, in Via Appia eſt oppidum Aricia. ultra hoc Lanuvium eſt, Romanorum Colonia, in dextro Viæ Appiæ latere, unde & mare & Antium conſpici poſſunt.* Dianæ *autem, quod vocant,* Nemus *ab ſiniſtra viæ parte eſt, qua ab Aricia Lanuvium verſus adſcenditur. templum in eo ad Aricinos pertinet. Ajunt, Dianæ Tauricæ ſacrorum ſimilia ibi eſſe conſtituta. nam barbaricus quoque ac Scythicus mos apud id templum obtinet. profugus quippe conſtituitur ſacerdos, qui priorem ſacerdotem ſua trucidaverit manu. ſtrictoque ſemper gladio paratus ad inſultus propulſandos circumſpicit. Fanum in Nemore eſt.*

c *Lib.* 5.

eſt. ante id Lacus mari æmulus. ſupercilium montanum continens atque excelſum circumcirca in loco cavo ac profundo includit lacum ac fanum. Ac fontes quidem conſpicui ſunt, unde lacus impletur. Ex quibus unus vocatur Egeria *communi numinis cujuſdam nomine. effluxus autem, intus quidem, occulti; at foris cernuntur e longinquo conſpicui. Ceterum, his locis vicinus eſt Albanus quoque Mons longe ſublimior Dianæ Nemore, & ejus ſuperciliis, licet celſis & ſatis rectis. is quoque lacum habet longe majorem eo qui eſt ad Dianæ montem.* Hactenus Strabo; ex recenſione tamen diligentiſſimi Philippi Cluverii, qui locum non ſemel corruptum quam aptiſſime ſic emendavit atque reſtituit. Templum Dianæ Aricinæ eo genere ſtructuræ quod *Tuſcum* ſive *Tuſcanicum* appellatur, ædificatum fuiſſe, refert Vitruvius. Quamquam non puro Tuſcanico ordine, verum mixto perſæpe atque compoſito ex Corinthia Doricaque architectura. Hæc Vitruvii verba, ubi de Tuſcanicis rationibus templorum agit: *d Item generibus aliis conſtituuntur ædes, ex iiſdem ſymmetriis ordinatæ, & alio genere diſpoſitiones habentes; uti eſt Caſtoris in Circo Flaminio, & inter duos Lucos Vejovis. Item argutius Nemori Dianæ, columnis adjectis dextra, ac ſiniſtra, ad humeros pronai. Hoc autem genere, primo facta ædes. uti eſt Caſtoris in Circo, Athenis in Arce Minervæ, & in Attica Sunio, Palladis. Earum non aliæ ſed eædem ſunt proportiones. Cellæ enim longitudines duplices ſunt ad latitudines; & uti reliqua exiſona; quæ ſolent eſſe in frontibus, ad latera ſunt translata.* Rotundum fuiſſe id templum credimus; quamvis alterius figuræ latera ac porticus ad frontem, columnis undique procurrentibus ſuſtentatas, haberet. Rotunda enim, ac pilæ inſtar, eodem Vitruvio teſte, templa Veſtæ fiebant; quod eadem eſſet cum Tellure, ſive Terra.

d Lib. 4. cap. 7.

Diana autem Aricina, inter alia numina, & *Veſta* vocata eſt; quemadmodum ex vetuſtis eidem factis Dedicationibus, apud Ariciam erutis, quas infra referemus, jam conſtat. Templi veſtigia, inter alios, detexit Joannes Argolus vir eruditiſſimus, editiſque Libris clariſſimus, eaque eruditiſſimo pariter & clariſſimo viro Philippo Thomaſino data epiſtola perſcripſit; quam hic ſuo de Donariis veterum ac Tabellis votivis docto Commentario inſeruit. *e* Cum enim Cardinalis Lælius Biſcia, Argoli Mæcenas, in Cynthiano, prope Nemus Aricinum, aliquamdiu ruſticaretur; & a Mario Pompejoque Frangipanis, oppidi dominis, eruditæ antiquitatis monumentis ibidem repertis donatus eſſet; Thomaſino ut delineata tranſmitterentur, quo ſuum Commentarium illuſtraret, optavit. quod & factum eſt. Ea occaſione, Anno a V. P. ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo ſupra milleſimum Marius idem atque Pompejus in hortis amœniſſimis villæ ſuæ magnificentiſſimæ periculum facere voluere, num fodiendo, certius adhuc aliquod veterum ædificiorum, ac nominatim Dianæ Aricinæ Nemorenſis templi (quod ibi ſtetiſſe, incerta erat fama) veſtigium detegi poſſet. Et ecce tibi templum idem, ſcilicet, de quo tot locuti ſcriptores, Dianæ Aricinæ, prope Lacum, quem *Speculum* ejuſdem deæ nominabant, recluditur; unaque paſſim ſigilla figlina, paſſim ſtatuæ inveniuntur, injuria temporis laceræ aliæ, aliæ minus læſæ; certe optimo lapide omnes, meliori manu. denique ſimulacrum ipſum numinis, venatorio habitu ſuccinctum, mutilum tamen, &, quod deterius eſt, capite truncum. Reperta deæ ſtatua, quamvis non ipſa Oreſtis, ſed recentior altera, templi certitudinem fecit. Inveſtigatum proinde ulterius exqui-

e *pag. mihi* 212.

quiſitiſſime ab Andrea Sacco, viro in architectura & pictura percelebri, & Franciſco Queſnovyo, ſculptore eximio, cujus tandem ſtructuræ id ædificium fuiſſet; repertumque ab illis, non uno, aut ſimplici ordine illud fuiſſe, ſed confuſis ut plurimum & compoſitis, acceſſione Corinthii & Dorici. quod & Vitruvius ſatis innuiſſe videtur, dum Dianæ Nemorenſis templum *multo argutius* Tuſcanicis puris fuiſſe teſtatus eſt. Locus certe Strabonis deſcriptioni perquam aptiſſime congruit; ſcilicet in Lacus margine, circa Nemus. Cum reliqua ædificiorum rudera multo longius diſſita videantur. quæ villarum Julii Luciique Cæſarum, aliorumque veterum Romanorum fuiſſe, probabilis eſt conjectura. Quæ vero prope Dianæ ſignum reperta baſis hiſce literis notabatur:

DIANAE
ſic
NEMORESI. VESTAE
SACRVM. DICT
IMP. NERVA. TRAIANO. AVG
GERMANICO. III. COS. PRAEF
EIVS T. VOLTEDIO MAMILIANO
QVAESTORIB
L. CAECILIO. VRSO. II. M. LVCRETIO
SABINO. II. AEDILIB. Q. VIBENNA. QVIETO
TI. CLAVDIO. MAGNO
P. CORNELIVS. TROPHIMVS. PISTOR
ROMANIENSIS. EX REG XIIII. IDEM. CVR
VICI. QVADRATI. ET. LANIA. C. F. THYONOE. CONIV
EIVS. VOTVM. LIBENS. SOLVERVNT.

Baſim hanc videre nuper erat in Alexandri Cardinalis Albani Muſeo, Romæ exſtantem, ab præſtantiſſimo viro Mario Frangipane Senatore Urbis, An. a V. P. MDCCXII. eidem dono datam. Nunc vero in Muſeum Clementinum Capitolinum translatam. unde Lapidem ipſum relegentes, deſcriptionem

ejuſdem ab Thomaſino editam Libro de Donariis & Tabellis votivis, nonnihil emendavimus. Ipſam vero Dianæ ſtatuam huic baſi olim impoſitam Galliarum Rex Ludovicus XIII. vix erutam, a detectore Mario ſeniore dono accepit. pro qua muneratori aulæa octodecim Phrygia textura villarum hortorumque imagines ſcite repræſentantia, viciſſim munus rependit. In qua Dedicatione notandum, quod ſigla DICT *Dictatorem* ſignificant. Magiſtratus autem inſculpti ii ſunt qui tunc aut Romæ erant, vel forte Ariciæ. quemadmodum & ipſe dedicator Trophimus Piſtor inſcribitur *Romanienſis*; ſcilicet Romæ quidem habitans Regione Decimaquarta, ibidemque Curator Vici Quadrati, verum advena, alibi natus, ſive aliunde oriundus. Porro ſignum hoc votivum fuiſſe, ultima verba Dedicationis ſatis declarant. non igitur primarium fuit in hoc templo Dianæ Aricinæ ſignum; ſed inter donaria & tabellas votivas poſitum, e multis unum. Ceterum, id templum a Priſcis Latinis, Græcorum fabulas ac ritus imitatis, dedicatum Dianæ, crediderim, cum parte Nemoris, quam *Lucum Dianium* peculiari quoque vocabulo nuncupaverunt. De Luco certe præclariſſimum exſtat Catonis, ex Priſciano, teſtimonium: *f Lucum Dianium in Nemore Aricino Egerius Lesbius Tuſculanus dedicavit, Dictator Latinus. Hi populi communiter: Tuſculanus, Aricinus, Lanuvinus, Laurens, Coranus, Tiburtinus, Pometinus, Ardeatis, Rutilus.* Feſtus tamen Pompejus, non Egerium Lesbium, ſed Manium Egerium, Dianæ, non Lucum, ſed Agrum Nemorenſem conſecraſſe, ſcripſit, ſic: *Manius Egerius Agrum Nemorenſem Dianæ conſecravit: a quo multi & clari viri orti ſunt, & per multos annos fuerunt. Unde & proverbium:* MULTI MANII ARICIAE. Quæ tamen cum Catonia-

f *Cat. Lib. 2. Origin. ex Priſc. Lib. 14. ap. Holſten. in Not. ad Cluv. p. mihi 189.*

nianis facile concordare poterunt, ſi hunc Latinum Dictatorem, *Manium Egerium Lesbium* vocatum dixeris; Agrumque Nemorenſem in quo Lucus, Dianium Lucum, dedicando Dianæ, effeciſſe. Quamvis ex hoc Feſti teſtimonio voluerint aliqui, a Manio Egerio non tantum Lucum Dianium, ſive Artemiſium, ſed omnem quoque Agrum Nemorenſem, ſcilicet ad oppidum Nemus ſpectantem, Dianæ Aricinæ conſecratum fuiſſe. de quo non pugno. Hoc in templo Dianæ ſacrificia ab Aricinis & Latinis reliquis immolatione cervæ candidæ fiebant; ex facto cervæ pro Iphigenia ſuppoſitæ ductis. De hoc ritu Ovidius: g

g *Faſt. lib.* 1.

Candida, quæ ſemel eſt pro virgine cæſa Dianæ,
Nunc quoque pro nulla virgine cerva cadit.

Et hoc commune erat ſacrificii genus Dianæ facti. Namque humanis victimis, Tauricorum Scythicorum inſtar, ſtatis tantum temporibus, in Aricino fano ſacrificatum fuiſſe, infra oſtendemus. Illud fere omnium ſolemniſſimum ſacri ſeu feſti genus, in honorem hujus numinis celebratum, legimus; quod per mulieres fiebat. Hæ namque ad impetrandum Dianæ, quæ & Lucina partubus præpoſita, favorem, pro felici partu, Ariciam quotannis ſeſe conferebant. Eaque ex urbe ad Artemiſium uſque, ſive Nemus Dianæ ac fanum currentes adibant; facem inter ſpicas deferentes, & ſepes, circa eam viam, liciis velantes. Quod ſcriptores antiqui permulti, præſertim poetæ, luculenter tradiderunt. Ac in primis Ovidius: h

h *Faſt.* 3. *de Saliis.*

Nympha mone, Nemori ſtagnoque operata Dianæ,
Nympha Numæ conjux, ad tua feſta veni.
Vallis Aricinæ ſilva præcinctus opaca,
Eſt Lacus, antiqua relligione ſacer.

Hic

Hic jacet Hippolytus furiis direptus equorum:
Unde Nemus nullis illud aditur equis.
Licia dependent longas velantia ſepes,
Et poſita eſt meritæ multa tabella deæ.
Sæpe potens voti frontem redimita corollis
Fœmina lucentes portat ab urbe faces.

Principio hanc pompam ſolæ virgines duxerunt, utpote quæ in honorem Dianæ virginis, & virginitatis cum paucis amantis, fiebat. Mox & nuptæ, felicem partum ab Diana, ſub Lucinæ, vel etiam Egeriæ, nomine, impetraturæ. Ad extremum, corruptis jam & dilabentibus moribus, cujuſvis farinæ fœminæ, etiam meretrices idem factitarunt. Certe de Cynthia, intra publici ſcorti famam, vulgata muliere, Propertius id tradidit: *i*

i *Lib.* 2. *Eleg.* 32.

Nam quid Præneſtis dubias, o Cynthia, ſortes,
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant eſſeda Tibur?
Appia cur toties te via ducit anum?
Hoc utinam ſpatiere loco, quocumque vagaris,
Cynthia: ſed tibi me credere turba vetat,
Cum videt accenſis devotam currere tædis
In Nemus, & Triviæ lumina ferre deæ.

Huic conſona protulit Statius: *k*

k *Silv. L.* 3. *in Hercule Surrentino.*

Jamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ Nemus, & face multa
Conſcius Hippolyti ſplendet Lacus.

Has vero faces inter ſpicarum faſciculum, ſive tædarum in ſpicæ ſimilitudinem acute inciſarum, deferri conſueviſſe, in memoriam ſigni Dianæ Aricinæ intra faſcem lignorum ab Oreſte abſconditi, atque in Latium delati, unde & Diana *Faſcelis* ſeu *Faſcelitis* dicta eſt, memoravit Gratius priſcus poeta: *l*

l *Turneb. L.* 7. *Adverſar.*

Spicataſque faces ſacrum ad Nemorale Dianæ
Siſtimus.

Quam-

Quamquam plures Dianam Aricinam, quod facem in ſigno præferret, facibuſque accenſis ita coleretur, Dianam *Facelinam* non *Faſcelinam* vocatam, tradidere. Certe Facelina Diana, & Facelinæ Dianæ templum Lucilio & Silio memorantur. Lucilius: *m*

-- -- -- -- -- *&c.*, *ſæpe quod ante*
Optaſti, freta Meſſanæ & Rhegina videbis
Mœnia; tum Liparam & Facelinæ templa Dianæ.

m *Lib.* 3. *Satyr.*

Silius vero, in recenſendo Siculorum militum delectu, ad Bellum Punicum: *n*

Mille Agathyrna dedit, perflataque Strongylos auſtris;
Mille Thoanteæ ſedes Facelina Dianæ.

n *Lib.* 14.

Quid ſibi vellet in his Dianæ ſacris, ſepes, circa viam & fanum deæ, liciis dependentibus velare, quod tradit Ovidius, plane non novi. Velari quidem multa veſte ſepes ad ornatum & pompam feſtivæ ſolemnioris alicujus celebritatis ruſticis in pagis, haud quidem rarum aut inuſitatum. liciis tamen, non ita frequens. Niſi ad magicum quoddam referas ſuperſtitionis genus, quo nuptæ ſtabiles in ſui fide atque amore viros detinere poſſe putarent. Licia enim circumdata ab Virgiliano Alpheſiboeo, ad amorem ſibi conciliandum, legimus: *o*

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circumdo.

o *Virg. Eclog.* 8.

Quemadmodum & primis temporibus, quibus ſolæ virgines cum facibus decurrebant, ad felix conjugium, Lucinæ Dianæ patrocinio, impetrandum, id factum referam. in deductione namque novæ nuptæ ad mariti domum, faces accendebantur. juxta illud, inter cetera: *p*

Mopſe, novas incide faces. tibi ducitur uxor.

p *ibid.*

Porro has faces curſu deductas in Artemiſium Nemus ac Fanum Dianæ Aricinæ, non ſolum ab mulie-

lieribus felicem partum, aut ſimile quid impetraturis, fuiſſe; verum etiam ab aliis jam voti reis, impetrato quod optaverant, ſignificavit Ovidius iis verbis: *q*

q *Faſtor.* 3.

Sæpe potens voti frontem redimita corollis
Fœmina lucentes portat ab urbe faces.

Nam *potens voti* ille eſt qui quod votis optaverat, impetravit. ideoque idem ac *voti reus*. Itaque crediderim, præter ſtatum diem, de quo mox referam, qui ſolemnis erat curſui puellarum tædigerarum, ſive facelinarum, in honorem Dianæ deſtinatus quotannis, crediderim, inquam, ſæpius etiam, mulieres quaſcumque, ob impetrata beneficia, quæ Dianæ Aricinæ referebant accepta, in deæ honorem, curſum per Artemiſium cum facibus accenſis cucurriſſe; ſolemnem annuum illum quaſi recolentes & imitatæ. Hunc ab illis curſum ab uſque urbe Roma inchoatum, quidam crediderunt, Ovidiano eo verſu decepti: *Fœmina lucentes portat ab urbe faces*. Siquidem *Urbs* ſine addito, per excellentiam ſola Roma nominari conſuevit. Incredibile tamen eſt, teneras ac delicatas puellulas tot milliariorum iter, quot ab urbe Roma ad Artemiſium numerabantur, curſu cum accenſis facibus peragere potuiſſe. Quare de urbe Aricina Ovidium locutum, interpretor cum Argolo & Corradino. Quam hoc loco *urbem* tantum, more Romæ vocaſſe Ovidium, credimus; tum ut carminis legi inſerviret; tum vero maxime, ut Auguſto, cujus gratiam quavis occaſione inire ſuis verſibus diligentiſſime curabat, adblandiretur. cujus maternum genus, ab Atia, Aricinum fuit. Eiſdem de cauſſis votivas tabellas plurimas de fano Divæ ſuſpendebant. de quibus Ovidius: *r*

r *Faſtor.* 3.

Et

Et posita est meritæ multa tabella deæ.

Quænam autem hæ potissimum essent, cognoscimus ex Thomasino, qui unam inter ceteras profert, in Nemorensi repertam, fictilem; in qua duæ mulieres sedentes in solio simul repræsentantur. Ex his quæ dextra est, veste omni prope ad imum demissa, quasi puerpera sive paritura fœmina videtur, eumque gerit ornatum, quasi puerperio cubet: cujus humero, quæ sinistra est mulier, (obstetricem puto) manum imponit, quasi animis illam confirmatura. hæc etiam infantulum recens natum gremio sustinet, qualem, commodum, ut descripsit Papinius: *f*

f Silv. L. 2. Carm. 1.

-- -- -- -- *raptum protinus alvo*
Sustulit exsultans, ac prima lucida voce
Astra salutantem.

Quam tabellam votivam in Dianæ Aricinæ templo suspensam pro feliciter suscepto filio, nemo dubitaverit. Si autem eam ipsam mulierem quæ in hac tabella obstetricem referre videtur, Dianam ipsam repræsentasse quis diceret, minime id etiam absonum existimarem. Alias quoque tabellas votivas, sive donaria, in ruinis Dianæ Nemorensis repertas ex Argolo profert Thomasinus; marmoreas quasdam, plurimas fictiles. ex his multa puellarum capita frontem redimita corollis illis quas refert Ovidius; cavum in occipitio habentia foramen, unde commodius in templo deæ suspensa prostarent. integram quoque puellarum figuram virginum habitu vestitam nonnullæ repræsentant, dextera manu aliquid gestantem; quid tamen, nescias; quia truncata ac mutila figura reperta est. Forte fax fuit, consueta cursu deferri. Aliam quoque Argolus donarii figuram exhibet, quam ipse urnulam putavit,

quæ ex iis eſſet quibus puellæ ſupplicantes Dianæ, aquam ex fonte Lacui Aricino, ſive Nemorenſi proximo, *Egeria* dicto, hauriebant, quam domi ſpargerent, aut in æde Divæ, felicis ominis gratia, & partus ſui fortunandi. Alii tamen, id donarium uteri muliebris figuram referre, crediderunt, Dianæ dedicati, quales multi conſueverant, a puellis uterum ferentibus. Siquidem Diana eadem atque Lucina, *quæ* t *Laborantes*, ajebat Horatius, *utero puellas ter vocata audit, adimitque letho Diva triformis*. Aliæ etiam mulierum fictiles imagines parientium habitu ibidem effoſſæ ſunt. Quibus truncam ſtatuæ ſedentis, Senatorio lato clavo indutæ, figuram addas, & manum vulnus in vola exhibentem; quam aurigæ Hippolyto devoti, Argolus fuiſſe exiſtimavit.

t *Od.* 22. *L.* 3.

Jam vero ſolemnem ſtatum diem quo curſus a puellis facem ſpicatam accenſam præferentibus habebatur quotannis per Artemiſium, Idus Sextiles fuiſſe, ex Papinio Statio cognovimus. Is enim hoc ſatis diſerte ſic memoravit: *u*

u *Lib.* 3. *Silv. Herc. Surrent.*

Tempus erat, cæli cum torrentiſſimus axis
Incumbit terris, ictuſque Hyperione multo,
Acer anhelantes incendit Sirius agros.
Jamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinum Trivia Nemus, & face multa
Conſcius Hippolyti ſplendet Lacus. ipſa coronat
Emeritos Diana canes & ſpicula tergit.
Et tutas ſinit ire feras, omniſque pudicis
Itala terra focis Hecatejas excolit Idus.

Hoc enim feſto die, quod putarent, (neſcias unde moti) Dianam ipſam ſuis Feriis feriari, venaticos canes omni labore ſolvebant, & coronabant; inſtrumentaque ipſa venatoria omnia ceſſantia ante ipſum Divæ fanum, ſive per Nemus, proſternebant.

bant. Quod & Gratius priſcus poeta in carmine de Venatione commemoravit: *x*

x *ap. Turneb. Adverſar. L. 7.*

Spicataſque faces ſacrum ad Nemorale Dianæ
Siſtimus; & ſolito catuli velantur honore;
Ipſaque per flores medio in diſcrimine luci
Stravere arma ſacris & pace vacantia feſta.

Verum, admodum diverſi generis ſacrum fuit quod eodem die factum Dianæ Aricinæ quotannis, iiſdem ex Statii verſibus, aliorumque multorum auctorum teſtimoniis didicimus. *profugorum*, ſcilicet, *regum*, quos vocabant, *cædes*. Hoc enim ſibi volunt verba illa:

Jamque dies aderat, profugis cum regibus aptum
Fumat Aricinum Triviæ Nemus.

Aptum autem lego, non *altum*, ut quidam. Fuit enim, ſi vicini Albani Montis altitudinem reſpicias, Nemus Aricinum *humile* potius, quam *altum*. At vero bene *aptum regibus profugis*. ſcilicet, ſervis transfugis & fugitivis, qui reges ſacrorum hic conſtituebantur, ſi adverſarium ſacerdotem ſingulari certamine interfeciſſent, *maxime aptum*; ipſi enim in occiſi locum ſuffecti eo ſacerdotio initiabantur; quamquam ſimili ſorte aliquando demum interituri. Quamvis & *altum* Nemus Dianæ vocari potuit ex eo quod ab Via Appia illo per Clivum Virbii adſcenderetur. Quo reſpexiſſe videtur etiam Lucanus inquiens: *y*

y Lib. 3.

Qua ſublime Nemus, Scythicæ qua regna Dianæ.

Igitur ex adducto in ſuperioribus Strabonis teſtimonio, ſacrificium hoc humanum ſervorum fugitivorum Dianæ Aricinæ in templo quotannis fiebat Idibus Sextilibus, in memoriam ſacrorum quæ apud Tauros in Scythia eidem Dianæ humanis victimis antea fieri ſolebant. Hæc namque ſacrificia Oreſtes cum Iphigenia & Pylade ad Aricinos ſimul cum

Dianæ ſigno tranſvexerant, aut certè tranſvexiſſe credebantur. Apud Tauros autem is fuerat mos, ex [z] Herodoto, ut non quidem Dianæ, ſed Iphigeniæ ejus ſacerdoti humanas victimas Tauri immolarent; naufragos præſertim quoſcumque, & Græcos peculiariter, quovis caſu illuc delatos. quorum, poſt preces peractas, caput clava feriebant, truncum de rupe detrudebant, caput cruci affigebant. Fuerunt enim inhoſpitales omnino, moribuſque immaniſſimis. utpote qui hoſtibus bello captis, aut prœlio occiſis capita præcidebant, & perticæ ſuffixa quammaxime ſublimia ſupra fumarium ſtatuebant, exiſtimantes hoc demum ad totius domus tutelam cuſtodiamque certiſſimam cum paucis conducere. Mos hic tamen hoſpites immolandi apud Aricinos per Oreſtem & ſocios mitigatus fuerat, atque mutatus in ſervorum tantum quotannis cædem in honorem deæ factam. Cumque hoc ipſum jam diſpliceret; ad ſolos ſervos fugitivos res eſt redacta. Quos etiam Romani, poſtquam gladiatoriis certaminibus inſueverant, non inultos mactari voluere. Dabatur proinde ſingulis annis fugitivo alicui poteſtas cum ſacerdote Dianæ, quem & ipſum fugitivum ad imaginem priſcæ Oreſteæ fugæ conſtituerant, ſingulari certamine dimicandi. in quo qui victor evaſiſſet, æmulumque necaſſet, ſacerdotio fungebatur; donec vice ſimili ab valentiori aliquo & ipſe periret. Quod tamen non omnibus fugitivis hæc dimicandi cum Dianæ ſacerdote poteſtas fieret, Servius notavit; quibuſque juris id foret, ipſe recenſuit. Nam de aurei rami ab Ænea ad Inferos deſcenſuro decerpti fabula diſſerens, *Licet*, inquit, [a] *de hoc ramo hi qui de ſacris Proſerpinæ ſcripſiſſe dicuntur, quiddam eſſe myſticum adfirment; publica tamen opinio hoc habet. Oreſtes, poſt occiſum regem Thoan-*

z *L.* 4.

a *Æn. L.* 6.

Thoantem in regione Taurica, cum sorore Iphigenia, ut supra diximus, fugit. Et Dianæ simulacrum inde sublatum haud longe ab Aricia collocavit. In hujus templo, post mutatum ritum sacrificiorum, fuit arbor quædam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitivis potestas, ut si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitivo templi sacerdote dimicaret. nam fugitivus illic erat sacerdos ad pristinæ imaginem fugæ. Dimicandi autem dabatur facultas, quasi ad pristini sacrificii reparationem. Porro sacerdos hic fugitivus *rex* dicebatur *Aricinus* aut *rex* etiam simpliciter, ejusque sacerdotium *regnum*; ut non tantum ex adductis Statii Lucanique testimoniis constat, sed etiam Ovidii non uno: *b*

b *de Art. L.* 1.

Ecce suburbanæ templum Nemorale Dianæ,
Partaque per gladios regna nocente manu.

Et rursum de Aricino eodem Nemore ac fano locutus inquit: *c*

c *Fast.* 3.

Regna tenent manibus fortes, pedibusque fugaces,
Et perit exemplo postmodo quisque suo.

Quæ nomina *regis* ac *regni* usitata etiam in aliis sacris fuerunt, ut princeps sacerdotum *rex sacrorum* pariter appellaretur. Nomine enim *regis* usi sunt Latini, non tantum ad principem populi, cujus imperio ac dominatui omnes parerent, significandum; verum etiam aliis in rebus, primum ut designarent. Sic non modo primum sacerdotum *sacrorum regem*, aut *regem sacrificulum* nominabant; verum etiam in convivio arbitrum, sive convivatorem, qui ceteros invitaverat, *regem convivii* dixerunt. Licet tamen hæc ita se habeant, poetæ aliis atque aliis infinitis prope fabulis rem unam obvolventes, sacerdotem Dianæ Aricinæ *regem* peculiari titulo ac caussa vocatum innuere voluerunt. Ajunt enim, ipsum Thoanta

anta Tauricorum regem profugum aliquando, ſi ſuperis placet, Ariciam advectum, ibique ſacerdotio Dianæ potitum humanis victimis deæ litaſſe. Quapropter & ipſe *rex Aricinus*, & ſucceſſores in eo ſacerdotio ſimiliter appellati. & id ſacerdotium *regnum* ſive *regna*. Teſtis Valerius Flaccus de Thoante locutus: *d*

d *Argonauticor. Lib. 2.*

- - - Ille procul trunca fugit anxius alno,
Taurorumque locos delubraque ſæva Dianæ
Advenit. hic illum triſti dea præficit aræ,
Enſe dato. mora nec terris tibi longa cruentis.
Jam Nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Alba
Juppiter, & ſoli non mitis Aricia regi.

Ceterum, immania hæc ſacra diuturna nimium Ariciæ fuiſſe, comperimus. Non modo enim Ovidius tamquam de re ſuis temporibus, ſub Auguſto ſcilicet, uſurpata, de illis meminit; ſed & Suetonius in Caligula ſic: [*e*] *Nullus denique tam abjectæ conditionis, tamque extremæ ſortis fuit, cujus non commodis obtrectaret* (Cajus). *Nemorenſi regi, quod multos jam annos potiretur ſacerdotio, validiorem adverſarium ſuborna-vit.* Et Statius, qui floruit ſub Domitiano, eadem ſacra ſua ætate facta commemorat. Quin & Prudentius Chriſtianus poeta, his multo poſterior, eadem deteſtatus tamquam adhuc fieri ſolita, ſic perſtrinxit: *f*

e *cap.* 35.

f *Lib. contra Symmach.*

Incaſſum arguere jam Taurica ſacra ſolemus.
Funditur humanus Latiari in munere ſanguis.

Jam vero in Aricinæ Dianæ templo & aliud numen deæ amicum ac familiare, Hippolytus, ſub Virbii nomine, cultus eſt. De illo (ut fabulæ quam longiſſimæ in arctum, quoad fieri poteſt, contrahantur) ſic memorant. Theſei atque Hippolytæ reginæ Amazonum filium fuiſſe. cumque, defuncta matre, a noverca Phædra illum depereunte inceſti poſtularetur;

tur; impudentiſſimæ fœminæ ſemper reſtitiſſe. utque amoribus inceſtis aditum omnem præcluderet, totum venandi ſtudio ſeſe tradidiſſe. Quapropter Dianæ, venationis deæ præſidi, comitem cariſſimum factum; ob ſtudia communia. Phædra tamen repulſæ impatiens Hippolytum apud Theſeum patrem tamquam novercalis pudicitiæ aggreſſorem ipſa inſimulavit; ſolito infamium repulſarumque fœminarum commento. Credulus pater filium diris devovet. Quare dum hic curru iter faceret, immiſit Neptunus marinum monſtrum, quod Hippolyti equos adeo perterrefecit, ut hi per aſpera & ſaxoſa loca fugientes, juvenem curru excuſſum, lora tamen adhuc tenentem, diu raptando diſcerpſerint. donec habenis ipſis implicitus, ſaxum inter ac rotam illiſus & oppreſſus, exſtinctus eſt. Quod genus mortis vel ipſum nomen Hippolyti male ominabatur. ἵππος enim Græce, *equus* Latine eſt; & λίθος ſive λίτος *lapis*; ſeu proprius, ex λύω, *ſolvo*. Diana tamen dilectiſſimi ſibi comitis atque clientis caſum miſerata, Æſculapium oravit ut Pæonia ſua potentiſſima arte Hippolytum nova vita donaret. quod & factum eſt. Ut autem a novercalibus inſidiis iterum ſubeundis quam longiſſime abeſſet, in Aricinum uſque Nemus Diana reſtitutum vitæ juvenem tranſvexit, abdiditque; hac enim conditione, ut ſemper lateret eo in Nemore, ad vitam redire ab Jove permiſſus fuerat. Mali etiam ominis, & veteris caſus admonens nomen Hippolyti, in aliud *Virbii*, quaſi *bis virum* diceres, ob vitæ novas auras bis hauſtas, felicius ac lætius mutavit. Hæc, in ſumma, de Hippolyto fabulæ. Quamquam & alia ab his diverſa, & contraria etiam ab aliis atque aliis narratoribus fabularum, præſertim Græcis, de Hippoly-

polyto eſt reperire. Quæ infra tantum innuemus. Nunc Ovidium ipſum, ex quo potiſſimum narratio noſtra concinnata eſt, aliquantulum audiamus: g

g *Faſtor.* 6.

Notus amor Phædræ; nota eſt injuria Theſei.
Devovit natum credulus ille ſuum.
Solliciti terrentur equi: fruſtraque retenti
Per ſcopulos dominum duraque ſaxa trahunt.
Exciderat curru; loriſque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat:
Reddideratque animam, multum indignante Diana;
Nulla, Coronides, cauſſa doloris, ait.
Namque pio juveni vitam ſine vulnere reddam:
Et cedent arti triſtia fata meæ.
Gramina continuo loculis depromit eburnis.
Profuerant Glauci manibus illa prius;
Tunc cum obſervatas augur deſcendit in herbas:
Uſus & auxilio eſt anguis ab angue dato.
Pectora ter tetigit; ter verba ſalubria dixit.
Depoſitum terra ſuſtulit ille caput.
Lacus eum Nemoriſque ſuo Dictynna receſſu
Celat. Aricino Virbius ille Lacu eſt.

Ex perſona vero ipſius Hippolyti caſus ſuos in Aricino Nemore narrantis Egeriæ Nymphæ, Numæ conjugi, inſolabiliter defunctum virum dolenti, ut eam curam ſuo exemplo minueret, longam ſuam narrationem ſic claudit: h

h *Metam.* L. 15.

Tum mihi ne præſens augerem muneris hujus
Invidiam, denſas objecit Cynthia nubes.
Utque forem tutus poſſemque impune videri,
Addidit ætatem, nec cognoſcenda reliquit
Ora mihi. Cretenque diu dubitavit habendam
Traderet, an Delon. Delo Cretaque relictis
Hic poſuit. nomenque ſimul quod poſſet equorum
Admonuiſſe, jubet deponere. quique fuiſti

Hip-

Hippolytus, dixit, nunc idem Virbius esto.
Hoc Nemus inde colo, de diisque minoribus unus
Nomine sub dominæ lateo, atque adsentior illi.

Et Virgilius, postquam eadem ferme de nece ac nova vita Hippolyti narrasset, addidissetque, Jovem indignatum quod Æsculapius tantum artibus medicis polleret, ut exstinctos quoque revocaret ad vitam, in ima Tartara fulmine illum detrusisse; de Hippolyto sub Virbii nomine in Aricinis latebris a Diana seposito hæc protulit: *i*

i *Æn. L. 7.*

At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Egeriæ Nemorique relegat;
Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum
Exigeret; versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam Triviæ templo lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi; quod littore currum
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.

Ex quibus etiam habes ritum quo Hippolytum Aricini colebant, ut nempe equos, quandoquidem ab illis terrefactis fuerat discerptus, numquam in Aricinum Nemus inducerent. quod non minimum delicatis cultoribus atque cultricibus incommodum fuerit. Hoc jam ex Ovidio quoque retulimus: *k*

k *Fast. 3.*

Hic jacet Hippolytus furiis direptus equorum;
Unde Nemus nullis illud aditur equis.

Non soli tamen Poetæ de Hippolyto hæc meminere. Pausanias in Corinthiacis tradit, *l* in templo Æsculapii Epidauri, ubi multæ votivæ tabulæ, & pilæ in quibus virorum ac mulierum nomina ope numinis curatorum incisa, insignem ex his unam fuisse in qua insculptum erat, dedicasse Hippolytum Æsculapio equos viginti. Hujusque pilæ inscriptioni consentanea Aricinos solitos dicere; discerptum scilicet ob Thesei imprecationes Hippolytum in vi-

l *Lib. 2. pag. mihi 235.*

tam ab Æſculapio revocatum; neque patri exinde umquam ignoſcere voluiſſe, atque in Italiam veniſſe, ibique dicato Aricinæ Dianæ templo regnaſſe. *Mea quidem etiamnum ætate*, pergit Pauſanias, *iis qui ad templum ſingulari certamine vicerint, præmium deæ ſacerdotium propoſitum eſt. Sed in certamen iſtud ingenuus nemo deſcendit. Servi dumtaxat qui fuga ſe dominis ſubduxerint*. In hoc templo, ante ſacellum ſive aram Hippolyti, ſacrificatum illi non dubitamus, eo ritu quo Pauſanias idem, Hippolytum cultum apud Trœzenios, memorat. atque inter cetera, puellas virgines ante nuptias ſucciſum ſibi capillum eamdem apud aram conſecraſſe. Quamquam autem Hippolytum Ariciam veniſſe, immo & urbem hanc condidiſſe, de mulieris cognominis ab eo caſte amatæ vocabulo nominaſſe, ibidem regnaſſe, atque aut ſepultum jacere, aut certe Virbii ſub nomine viventem perpetuo in Aricino Nemore latitare, apud Italos fama eſſet; huic tamen famæ Trœzenios minime conſenſiſſe, Pauſanias refert *m*. Verum, eum eſſe a diis habitum illi honorem affirmabant, ut in cæleſtium ſyderum numerum relatus, idem ipſe ſit qui *Auriga Cæleſtis* dicitur. Quam opinionem neque Italis quidem Hippolyti cultoribus ignotam conjicimus. Siquidem aurigas in Hippolyti fide tutela & clientela ſe eſſe credidiſſe, illumque patronum invocaſſe, atque eidem vota feciſſe, votiſque partis, donaria in templo Aricino voti reos ſuſpendenda detuliſſe, manus effigies fictilis, quam ex Argolo didicimus apud Dianæ Aricinæ templum effoſſam, innuere videtur. Ea enim volam aurigæ loris laceram repræſentat, ob quam dei patrocinio ſanatam, id donarii de templo Hippolyti ſuſpenderit voti compos. Attamen longe aliter de Hippolyto

m *pag. mihi* 145.

ſen-

ſenſiſſe videtur Horatius. Siquidem, perpetuis illum urgeri tenebris apud inferos dixit, nulla Dianæ ope umquam liberandum, Ode libri quarti ſeptima, his verſibus:

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.

Ceterum, cultus Hippolyti apud Aricinos in tantum aliquando excrevit, ut Flaminem Virbialem, jam non Hippolytus ſed Virbius, haberet conſtitutum, qui ejus ſacrificia procuraret. Neque illum quidem aut ſervum, ut Diana, neque de vulgari plebe hominem; verum nobiliſſimum quemque Romanorum. Hoc diſerte nos monent vetuſti Lapides ex Aricini templi ruderibus detecti, quos inſcriptos his notis Ligorius retulit: *n*

n *In MSS. Otthobon.*

1.

DIANAE. SACRVM
M. NVMISIVS. M. F. OVF
PHILIPPVS FLAMEN VIRBIALIS
ET ARICINAE DIANAE VESTAE DICTAE CVSTOS
XVII. KAL. IVNII. EPVLVM. VIRBIAL. PUB. DEDIT
N. SIGNVM. DEAE. CONLOCAVIT
IMPP. M. ANTONINO. COMMODO
AVG. V
ET. VALERIO. AVRELIO GLABRIONE. COSS

2.

VESTAE DIANAE DICTAE
P. TVRPILIVS POLILAVS
SACERDOS DIVAE DIAE ET
FLAMEN. VIRBIALIS. PATR. COLL. CORP
LVTOR. ARIC . . . . .
QVINQVEN. ITERVM. D. D

3.

L. FABIO. FLAVIANO
PRAETEXTATO. FL. VALER
PROB. AVG. CANDIDATO

. . . . . .

. . . . . .

PRAEF. IVVENT
EQVO PVBLICO
ADLECTO. IN. V. DECVR
ORNATO MILITIAE
PRAEF. COHOR. I. PROV. AFRIC. PR
FLAMINI VIRBIALI
AVGVRI AEDILI. CVRVLI. IIIIII. VIRO
AVGVSTALI Q. Q. IVVENVM

Ex quibus etiam discimus, Virbialium Collegium apud Aricinum Nemus institutum fuisse, & Collegia quoque alia *corporata* h. e. *conjuncta*, ibidem exstitisse; *Lutorum* præcipue, qui in Nemorensi Lacu lavarent. quid porro; determinare non ausim. Clivum denique, per quem ab Aricia ad Dianæ Nemorensis templum ascendebatur, Virbio consecraverunt, & de illo *Clivum Virbii* dixerunt, in quem ex Appia diverticulum erat. fuitque celebratissimus & magnificis ædificiis villarum ac sepulcrorum frequentissimus, quorum non obscura adhuc supersunt vestigia. Huc, quod populorum assidui concursus fierent, Dianam, Hippolytum, atque Egeriam, ut mox dicemus, colentium; mendiculorum turba plurima convenire atque adeo stabiliter degere solita fuit; ut ab eorum numinum cultoribus per hunc Clivum continenter ultro citroque commeantibus stipem peteret. De his mendiculis Juvenalis: *o*

o Satyr. 4.

Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes,
Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.

Et fusius Persius; cujus tamen carminum genuinum sensum non facile quivis assequatur: *p*

p Satyr. 6.

Age,

Age, ſi mihi nulla
Jam reliqua ex amitis; patruelis nulla; proneptis
Nulla manet patrui; ſterilis matertera vixit;
Deque avia nihilum ſupereſt; adcedo Bovillas,
Clivumque ad Virbî. præſto eſt mihi Manius hæres,
Progenies terræ. quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater; haud promte, dicam tamen. adde etiam unum;
Unum etiam. terræ eſt jam filius: & mihi ritu
Manius hic generis, prope major avunculus exit.

Ad quæ Cornutus Perſii interpres habet: *Quatuordecim millibus ab Urbe eſt Virbii Clivus, qua itur ad Ariciam & ad Nemus Dianæ.* Hic enim poeta cum de inani nobilitatis jactatione ageret, & flocci faciendum ab illuſtribus majoribus deductum genus, ſi a virtute disjunctum ſit, ſignificaturus, ſtirpem omnem etiam nobiliſſimam demum interire oſtendit. quam ob reparandum utcumque, adoptandi ſint filii vel viliſſimo loco nati. indeque fieri quod non ſit ruſticus qui majores inter ſuos vel ipſos reges, ſi altius aſcenderis ſemper, computare non poſſit; inverſaque vice, nullus ſit rex, qui inter ante ſe natos in ſua gente ruſticum tandem aliquando, atque adeo viliſſimum terræ filium, non numeraverit. Non propterea præ timore hæredis, ſordide parcendum utendis. nam orbis hæredem quemlibet vel mendiculum, quales plurimi in Virbii Clivo, poſt Bovillas, ad Aricinum Nemus aſcendentibus, facile occurrere cuivis poterant, aſſumere fas erat. qui tamen vel veros vel mentitos majores nobiles facili negotio proferret. Vocat itaque Perſius mendicos Clivi Aricini *Manios*; vel quia cum multi eſſent Ariciæ ex gente Mania, ut Feſtus tradit; ex illis non pauci ad mendicitatem uſque devenerant, quamvis a Manio illo Egerio Lesbio ſummo viro

Di-

Dictatore Latinorum, qui Agrum Nemorenſem Dianæ conſecraverat, originem ducerent: vel quia *Manii* vocarentur apud veteres Latinos deformes ignotique homines, ex vocabulo *Maniæ*, quo appellabantur indecori vultus perſonæ, quibus pueri terrentur. ex Græco μανία, quod eſt *furor*; unde Latina vocabula *immanitas* & *immanis*, atque Italica *ſmania* & *ſmaniare* ſine dubio ſunt derivata. Cum ergo Clivi Virbii mendici deformes ut plurimum eſſent & horridi (qualia paſſim videmus olida mendicabula) hinc Perſius illos *Manios* argute dixerit. quæ de Aricinis Maniis, Aſinii Pollionis apud Feſtum ſententia fuiſſe perhibetur. Unde, &, Ariciæ, panis genus fieri ſolitum, addidit idem auctor, qui *Manicus* appellabatur. Illumque ego fuiſſe panem ſecundarium, ac multo furfure mixtum, exiſtimarem, ut mendiculorum Clivi Virbii turbæ, qui *Manii* dicebantur, utpote multo viliſſimus, perquam aptus ac venalis foret. Quales porro eſſent hujus Clivi mendici, ſcite deſcripſit Martialis, Vacerram pannoſum & obæratum ac tranſvaſantem irridens: *q*

q *Lib.* 12. *Ep.* 32.

O Juliarum dedecus Kalendarum!
Vidi, Vacerra, ſarcinas tuas, vidi;
Quas non retentas penſione pro bima
Portabat uxor rufa, crinibus ſeptem,
Et cum ſorore cana mater ingenti.
Furias putavi nocte Ditis emerſas.
Aſt tu priores frigore & fame ſiccus,
Et non recenti pallidus magis buxo,
Irus tuorum temporum, ſequebaris.
Migrare Clivum crederes Aricinum.
Hæc ſarcinarum pompa convenit ponti.

Præter Hippolytum Virbii nomine obvelatum, cultum

tum fuit in Nemorenſi Dianæ templo, aut certe prope ipſum, tertium aliud numen *Egeria* appellatum. De hoc pariter non ſimplex eſt fabula. Alii enim *Egeriam* Dianam ipſam vocatam putant; quod ad *egerendam* ex alvo prolem, parituris adjutorio eſſet. Alii Egeriam miniſtram Dianæ fuiſſe dixerunt, Nympham ab ipſa Diana fonti præfectam, apud Nemorenſem Lacum, in ſolatium amiſſi Numæ Pompilii Romanorum regis ſecundi; cui conjux & a conſiliis fuerat. Atque hæc hujus numinis apud Latinos vulgatior fama. Ovidius de Numa præceptis philoſophiæ a Pythagora (quamvis falſiſſimum hoc) inſtructo, ac demum defuncto, deque Egeriæ conjugis inſolabilibus lacrimis, ſic: *r*

r *Metamorph. Lib.* 15.

Talibus, atque aliis inſtructo pectore dictis,
In patriam remeaſſe ferunt, ultroque petitum
Accepiſſe Numam populi Latialis habenas:
Conjuge qui felix Nympha, ducibuſque Camœnis,
Sacrificos docuit ritus; gentemque feroci
Adſuetam bello, pacis traduxit ad artes.
Qui poſtquam ſenior regnumque ævumque peregit;
Exſtinctum Latiæque nurus populuſque patreſque
Deflevere Numam. nam conjux, Urbe relicta,
Vallis Aricinæ denſis latet abdita ſilvis.
Sacraque Oreſtæ gemitu queſtuque Dianæ
Impedit. ah quoties Nymphæ Nemoriſque Lacuſque
Ne faceret, monuere! & conſolantia verba
Dixerunt! quoties flenti Theſëus heros,
Siſte modum, dixit! nec enim fortuna querenda
Sola tua eſt. ſimiles aliorum reſpice caſus;
Mitius iſta feres. utinamque exempla dolentem
Non mea te poſſent relevare! ſed & mea poſſunt.

Pergitque totam Hippolyti fabulam denarrare. qua expleta, ſubjungit:

Non

Non tamen Egeriæ luctus aliena levare
Damna valent; montisque jacens radicibus imis
Liquitur in lacrymas; donec pietate dolentis
Mota soror Phœbi, gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuavit in undas.

Hic scilicet est ille *Fons Egeriæ* de quo [s] Strabo jam a nobis recitatus, *Ac fontes quidem*, inquit, *conspicui sunt, unde Lacus impletur. Ex quibus unus est qui* Egeriæ *appellatur, eodem quo numen quoddam nomine*. Quod vero Numæ conjux Egeria fuerit, non uno loco idem Ovidius confirmat: [t]

Nympha, mone, Nemori stagnoque operata Dianæ:
Nympha Numæ conjux, ad tua sacra veni.

Et infra:

Defluit incerto lapidosus murmure rivus:
Sæpe, sed exiguis haustibus, inde bibi.
Egeria est quæ præbet aquas, dea grata Camœnis.
Illa Numæ conjux consiliumque fuit.

Et tertio:

Sive hoc a Samio doctus, qui posse renasci
Nos putat; Egeria sive monente sua.

Neque tamen solum hoc Poetarum figmentum fuit. Livius [u] idem memorat. quamvis, rem a Numa ipso vafre confictam fuisse, addat. *Omnium primum (rem ad multitudinem imperitam & illis sæculis rudem, efficacissimam) deorum metum injiciendum ratus est. qui cum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset; simulat sibi cum dea Egeria congressus nocturnos esse. ejus se monitu, quæ acceptissima diis essent, sacra instituere; sacerdotes suos cuique deorum præficere*. Quod ex Livio inter sua exempla transtulit Valerius Maximus. [x] At Dionysius de Numa pariter locutus, [y] *Multa*, inquit, *de eo ac mira prædicant. fabulantur enim, Nympham ad eum quotidie ventitasse Egeriam; cumque re-*

[s] *Lib.* 5.
[t] *Fastor.* 3.
[u] *Lib.* 1.
[x] *Lib.* 1. *c.* 2.
[y] *Antiq. Rom. L.* 2.

giam

giam ſapientiam edocuiſſe. Alii non Nympham tradunt, ſed unam Muſarum. Et paullo poſt: *At qui fabulis locum in hiſtoria non relinquunt, Numam hæc de Egeria dicunt finxiſſe: ut hac religione devincti, leges ab ipſo, velut ex auctoritate deorum latas, libentius admitterent.* Hos inter, Ciceronem fuiſſe, ſcimus, qui totam de Egeria Numæ conjuge narrationem inter meras fabulas computandam, in comperto ſatis fuiſſe, ſignificavit his verbis: z *Et mehercule ego me cupio non mendacem putari. ſed tamen nonnulli iſti faciunt imperite, qui in iſto opuſculo non ut a poeta, ſed ut a teſte veritatem exigant. nec dubito, quin iidem & cum Egeria colloquutum Numam, & ab aquila Tarquinio apicem impoſitum, putent.*

z *de Legib.* L. 1.

Ceterum, ut Juturnæ fons ſive lacus, alter fuit extra Urbem circa Ardeam, alter intra, prope Velabrum; Clivus etiam Virbii unus, de quo nos hactenus, prope Aricinæ Dianæ fanum & Nemus, alter vero Romæ, de quo Livius libro primo: ita duos Egeriæ fuiſſe fontes, ad Lacum Nemorenſem alterum, alterum vero haud ita procul a Capena porta, juxta Viam Appiam, ex multorum veterum teſtimoniis addiſcimus. Hinc autem factum, ut anceps fuerit vulgi opinio, ad quem potiſſimum Egeriæ fontem, quodve ad fontis antrum Numa cum Nympha congredi conſueviſſet. De Egeriæ fonte prope Romam, loco qui nunc vulgo dicitur *la Caffarella*, ubi vallis, & aqua quæ aliquibus per vetuſtum abuſum dicitur *l' Acqua ſanta*, intra primum ab Urbe lapidem extra portam Capenam, locutum puto Livium Libro primo ajentem: *Lucus erat, quem medium, ex opaco ſpecus, fons perenni rigabat aqua; quo quia ſe perſæpe Numa ſine arbitris, velut ad congreſſum deæ, inferebat; Camœnis eum locum ſacravit, quod earum ſibi*

concilia cum conjuge ſua Egeria eſſent. Et Plutarchum in Numa, de quo hæc habet: *Ex Egeria atque Muſis ſe accepiſſe, conſecrandum Muſis eſſe campum, & circumjecta prata, ubi plerumque cum ipſo congrediebantur. fontem autem quo irrigatur campus, ſacrandum virginibus Veſtalibus: cujus aqua luſtrarent, adſpergerentque quotidie penetralia*. Hunc fontem pulchre deſcribit Juvenalis Satyra tertia, ubi de amico Umbricio Roma diſcedente, & Cumas pergente, quem ipſe ad hunc uſque fontem dolenti animo comitatus eſt:

Subſtitit ad Veteres Arcus madidamque Capenam;
Hic ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.
Nunc ſacri fontis Nemus & delubra locantur
Judæis; quorum cophinus fœnumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor; & ejectis mendicat ſilva Camœnis.
In vallem Egeriæ deſcendimus & ſpeluncas
Diſſimiles veris.

In quibus tamen illud perdifficile eſt; quomodo *ad Arcus Veteres, Aquæductus* ſcilicet, & ex illis *madidam* Capenam, fuerit lucus Camœnarum, quem Domitianus Judæis locaverat. Fabrettus in ſuo de Aquis & Aquæductibus Commentario, ait, antiquiſſimam portam Capenam, de qua hic Juvenalis, fuiſſe loco nunc intra Urbem ſub Cœlio monte & ſub hortos Matthæjos ſitam, ibique ad dextram exeuntibus, fuiſſe Arcus aliquot Aquæ Appiæ, quos hic *Veteres Arcus* nominat Juvenalis. prope illos fuiſſe Lucum & Antrum Egeriæ, cenſet, quo ſimulabat Numa ſeſe noctibus conferre. ſed quæ de campo & pratis ibidem a Numa dedicatis Camœnis, tradunt Livius atque Plutarchus, a nobis huc jam adducta, huic Fabretti ſententiæ repugnare videntur. Quare potius legendum aliqui putant, *madidaſque Camœnas*.

Lu-

Lucus namque hic Camœnarum, quas ejectas queritur poeta a Judæis loci conductoribus, eo ſitu quem memoravimus, fuiſſe videtur. Pergit autem Satyricus Domitianum carpere, quod hunc Egeriæ fontem luxu nimio ornando fœdaſſet, ac deturpaſſet, nativa illi ſimplicitate, quæ magis aſpectui ſolet arridere, ſublata. unde ait:

... In vallem Egeriæ deſcendimus & ſpeluncas
Diſſimiles veris. quanto præſtantius eſſet
Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet undas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum!

Quamvis quatuor hi verſus etiam ad Aricinum ſive Nemorenſem Egeriæ fontem trahi poſſe videantur. Ita ut, ſubſtitiſſe diceremus Umbricium ad Veteres Arcus primo, madidamque Capenam; mox autem conſcenſa rheda ſimul cum Juvenali ab Via Appia deflexiſſe aliquantulum & in vallem Egeriæ deſcendiſſe, & ſpeluncas diſſimiles veris, quas Domitianus ornaverat, ſive, ut poetæ placet, violaverat, ſuperinductis marmoribus. Ut ut res habuerit; de fonte Egeriæ prope Romam, ſcilicet, ad Camœnas, certe locutus eſt Martialis his verſibus: *a*

Laſſus tam cito deficis, viator?
Et cum currere debeas Bovillas,
Interjungere quæris ad Camœnas?

a *Lib.* 2. *Ep.* 6.

Cum enim liqueat, Fontem Egeriæ Aricinum ultra Bovillas & Virbii Clivum fuiſſe, ad Lacum ſcilicet Dianæ Nemorenſem; patet etiam, viatorem iſtum ſiſtere voluiſſe, & interjungere, ſcilicet, equos inter iter faciendum disjungere, ad Camœnas, quæ tam prope Romam ante Bovillas erant. cum hæ nonum inter atque decimum ab Urbe lapidem Via Appia ſitæ eſſent. Unde & Itinerariæ antiquæ Tabulæ locum ipſum cum his notis *Ad Nonum* aliquando ſigna-

verunt. Solitus autem curſus eorum etiam qui mutatis equis iter faciebant, is erat, ut Bovillis primum ſive Ad Nonum, equos mutarent. Viator tamen, quem Martialis hic ridet, laſſus, dimidio nondum itinere peracto, interjungere volebat atque ſubſiſtere ad Camœnas; invitatus fortaſſe religione loci vel etiam amœnitate. Quod, ex facto Umbricii apud Juvenalem, a viatoribus factitatum videtur; ut paululum vel religionis vel animi cauſſa ad Camœnas, & fontem & Lucum Egeriæ ſubſiſterent. De Aricino tamen ſeu Nemorenſi Egeriæ fonte atque antro Sulpitiam poetriam in Satyra contra Domitianum, quia Philoſophos ex Urbe exegerat, locutam, exiſtimo, ex Calliopes perſona:

Pone metus æquos, cultrix mea: ſumma tyranno
Hæc inſtant odia: & noſtro periturus honore eſt.
Nam laureta Numæ fonteſque habitamus eoſdem:
Et comite Egeria ridemus inania cœpta.

Quod enim dicit Calliope, Domitianum periturum honore Muſarum, & illam cum reliquis Muſis fontes eoſdem, ſcilicet cum Domitiano, habitare; interpretor, quod Sulpitia poetria in villam aliquam Aricinam receſſiſſet, non longe ab Albana Domitiani villa, ubi hic frequentiſſimus cum poetis degere ſolitus, quibus & certamina propoſitis præmiis inſtituit. Porro de hac Domitiani villa, Lacus Nemorenſis, ubi Egeriæ fons, conſpiciebatur.

b *L. 5. Ep. 1.* *b* Teſtis Martialis ad Domitianum:

Hoc tibi, Palladiæ ſeu collibus uteris Albæ,
Cæſar, & hinc Triviam proſpicis, inde Thetin,
Mittimus.

De Aricino quoque Egeriæ antro, tamquam ibi Numa cum hac Nympha ſua miſcuiſſet colloquia, expreſſe Statius: *c*

c *Silv. L. 5. Carm. 3.*

--*ſic*

- - - - sic ſacra Numæ rituſque colendos
Mitis Aricino dictabat Nympha ſub antro.

Et Martialis idem Libri decimi Epigrammate trigeſimo quinto:

Tales Egeriæ jocos fuiſſe,
Vdo crediderim Numæ ſub antro.

Quod enim hic antrum intellexerit Aricinum, ſatis conſtat: ſic quippe antea, Libri ſexti Epigrammate quadrageſimo ſeptimo, quod eſt ad Ianthida Nympham:

Nympha mei Stellæ, quæ fonte domeſtica puro
Laberis, & domini gemmea tecta ſubis;
Sive Numæ conjux Triviæ te miſit ab antro,
Sive Camœnarum de grege nona venis.

En ut diſerte poeta duplicem Egeriæ fontem diſtinguit, Aricinumque illum fuiſſe, aſſeverat, in cujus antro Numa cum Egeria congredi creditus fuerat. Quam tandem etiam *d* Virgilii fuiſſe ſententiam, hi verſus probant: d *Æn. L. 7.*

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius; inſignem quem mater Aricia miſit
Eductum Egeriæ lucis, humentia circum
Littora, pinguis ubi implacabilis ara Dianæ.

Legimus cum Cluverio *implacabilis*, non, ut communiter, *& placabilis*. primum enim Dianæ Aricinæ aræ convenit maxime, quæ pinguis quotannis humano ſanguine fiebat; nec tamen placabatur dea; ſed nova ſemper humana ſacrificia expetebat. Quod optime probat Cluverius exemplis. & illo Æneidos Octavo *pinguis ubi implacabilis ara Palici*. & ex altero Silii: *e* e *Lib. 4.*

Sed Spartam penetrare deus fratreſque negabant
Auſonii, totidem numero: quos miſerat altis
Egeriæ genitos immitis Aricia lucis,

Æta-

Ætatis mentiſque pares. at non dabat ultra
Clotho dura Lacus aramque videre Dianæ.

Et Libro octavo:

Quique immite Nemus Triviæ, quique oſtia Tuſci
Amnis amant.

f *de Pont. L. 3. El. 2.* Ovidii quoque: *f*

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram.

g *Lib. 2.* Quibus conſona protulit Valerius Flaccus: *g*

Jam Nemus Egeriæ, jam te ciet altus ab Alba
Juppiter, & ſoli non mitis Aricia regi.

Ceterum, licet anceps hæc fama fuerit apud veteres de antro Numæ, ad quod rex, inviſendæ & conſulendæ conjugis Egeriæ gratia, noctibus ſeſe conferret; aliis id ad Camœnas, intra primum ab Urbe lapidem, extra Capenam portam collocantibus Appia Via; aliis vero, ad Lacum Nemorenſem, ſexdecim, ut minimum, mille paſſibus Roma diſtans, in ſiniſtro ejuſdem Appiæ latere, diverticulo haud ita brevi, idem antrum ſtatuentibus; ut ex cujuſque teſtimoniis hactenus adductis apparet: quod tamen Aricino antro ac fonti hæc, ſive fabula, ſive hiſtoria, convenire, atque adeo commode aptari nullatenus poſſit, certiſſimum eſſe debet. Nam, præterquam quod, congreſſus Numæ cum Egeria, ſingulis noctibus vel habitos a Rege, vel certe ſimulatos, Hiſtorici memorant; unde incredibile prorſus fit, triginta duorum mille paſſuum iter, adeundo ac redeundo, in agrum uſque Aricinum ſcilicet, & exinde Romam, tam adſiduum, nocturno incommodo tempore, Regi frequentari, vel frequentatum perſuaderi Populo Romano potuiſſe; illud invictiſſimum videtur eſſe argumentum, quod Aricinum Egeriæ antrum ac fontem Numa non frequentaverit; ſcilicet, Latinorum regionem, in qua

Ege-

Egeriæ Aricinæ domus, Numæ ætate, in Romanorum ditione nondum fuiſſe; verum ſui juris, utpote Latinorum Reipublicæ partem, vel certe Albanis ſub Regibus, aut Dictatoribus. Quomodo, itaque, Rex Romanus, ſingulis ferme noctibus, in alienæ ditionis antrum ſeſe ſine piaculo, aut ſuſpicione, ad ſecretos numinum congreſſus, & colloquia de Republica conſtituenda, ſtabiliendaque, conferre tuto potuiſſet? Ea maxime ætate qua, quamvis pax Romanos inter atque Latinos eſſet; æmuli nihilominus Albani Romanæ creſcentis potentiæ quam maxime forent. Quod, Tulli Hoſtilii, in regno Numæ ſucceſſoris, tempore, clariſſime conſtitit. Si autem Numam vel ſeſe contuliſſe, vel conferre ſeſe ſimulaviſſe, dicamus, ad Egeriæ congreſſus, non ultra primum ab Urbe lapidem, in locum qui *Ad Camœnas* poſtea dictus eſt; jam & brevius multo iter, & intra Romanæ tunc ditionis fines, ab eo ſingulis noctibus frequentatum, potiori ſane jure, ac congruentius dixerimus. Fama autem illa de Aricino Egeriæ antro ſatis ex Ovidii a nobis allatis verſibus originem ſuam oſtendiſſe poteſt. nempe, quod poſterorum Numæ vulgus putaverit, Egeriam mœrore tabeſcentem ob Numæ conjugis obitum, de antro Camœnarum ad antrum Aricinum ab Diana Nympharum patrona translatam, ut amiſſi regis ac viri, ex loci mutatione, facilius obliviſceretur. Ceterum, fabula nata eſt ex nominis ejuſdem utrique fonti impoſitione. Os enim utriuſque antri, ex quo terra aquas egerebat, *Egeriam* Latini nominaverunt.

Præter hos deos, habuiſſe in Aricino Dianæ templo aras ac ſacella, vel circa id templum, ſeparatas ædiculas alia quoque numina, ex vetuſtis eorum monumentis cognoſcimus. Namque apud ea

loca

loca detectæ ſunt Dedicationes antiquæ Æſculapio poſitæ, quarum hoc exemplum: *h*

h *Spon. Sect. 3. p. 117.*

1.

AESCVLAPIO. SERVAT
SACRVM
M. AVRELIVS. FAVSTVS
BASSVS
ET. AVRELIA. BASSIANA
V. S. L. M.

i *Ligor. v.* Aricia.

2. *i*

AESCVLAPIO. SANCTO
ET. HYGEIAE. SALVTIF
SACRVM --------- FONT
M. CAPAENIVS. ORVNCIVS
LATINVS
L. MAGILIVS L. F. GALLVS
MAG. CORP. LVTORVM
QVINQ. ĪĪ. F. C.

De Æſculapio nos plurima in noſtro de Antiatibus Libro; nunc tantum addendum, apud Aricinos eum ideo cultum, quod Hippolyti ſervatorem, ſive ad vitam reſtitutorem Diana adhibuiſſet. Oreſtem pariter & Iphigeniam aras apud Aricinæ Dianæ habuiſſe, veriſimile videtur; præcipue cum ex Servio noverimus, Oreſtis oſſa diu apud idem templum ſervata fuiſſe, & ejuſdem calvariam populis credulis oſtendi ſolitam. Sceptrum quoque ipſius Oreſtis eodem in templo reconditum, ſunt qui tradant: eoque *k* uſum Aricinæ Dianæ ſacerdotem fugitivum,

k *ap. Corradin. T. 1. Vet. Lat. in fine*

vum, in ſacris; atque ob hujus ſceptri geſtationem, *regem* illum non incongrue appellatum, meminerint. Ceterum, Aricinum ſive Nemorenſe Dianæ templum muneribus, donariis, tabellis votivis, ac dedicationibus cumulatiſſimum fuit. Quarum aliquæ ad nos etiam pervenerunt his notis, præter eas quas in ſuperioribus jam adduximus: *l*

l *Spon. Sect.* 2. *art.* 11. *p.* 64. *Et exactius Fabrett. Inſcript. cap.* 6. *n.* 19. *p.* 435.

1.

DIANAE. AVG.
COLLEG. LOTOR.
SAC.
PRIMIGENIVS R. P.
ARICINORVM SER. ARC.
CVRATOR II. CVM.
M. ARRECINO GELLIANO.
FILIO CVRATORE I.

2.

L. TERTENI. AMANTI
SACER. COLLEG. LOTORVM
II. VIR. C. SARTIVS. C. F.
ITERINVS ET L. ALLIVS
PETELINVS D. D.

3.

sic
DEANAE
NEMORENSI
SAC
M. ACILIVS PRISCVS
EGRILIVS
PLARIANVS

4.

INVICTAE DIANAE ET
VICTRICI. SANCTAE. SAC.
L. VALERIVS L. F. POPIL.
FELIX S. P. V. S.

5.

M. AR IO. M. F. OVF. ARTORIANO
EQ. ROM. FLAMIN. FLAVIAL. ET
sic
RECTORI. AEDE *m*
DIANAE NEMORENSIS
ET VI. VIR. AVGVST
POST. DOTATVM. SACELLVM. SEPVLCHR. EX. TESTAM.
ET. ARBITRATV. HIC. L. ARIO. RVFINO
PONI. CVR. VIX. ANN. LXVII.
OBIIT. VERO. KAL. SEXTIL
M. COCCEIO. NERVA. AVG. III.
ET L. VIRGINIO RVFO III. COSS.
M. ARTORIVS. Q. F. ARIANVS. EQ. ROM
LEGAT. CAVSA. FIERI. CVRAVIT

m *Ligor. v.* Aria.

6.

n M. TARCHEITIS. M. F. PRISCVS
EQ. ROMANVS DIANAE ARICINAE
BONAE. DEAE. D. D.

n *Idem v.* Tarchitiano

De quibus nonnulla ſunt diſſerenda. Namque in harum Dedicationum prima Collegii Lotorum Aricinorum fit mentio, & in ſecunda, quemadmodum & in aliis ſuperius adductis, ubi de Virbii cultu apud Aricinos. Lutorum hoc Collegium interpretamur, Balneatorum fuiſſe, adhærentes Sponio. Quamquam & hominum in Lacu Nemorenſi lavantium eſſe potuit. In prima pariter Dedicatione Dianæ facta nominatur *Servus Arcarius*. Num hic cuſtos fuerit

arca-

arcarum ſacræ pecuniæ, cujus theſauri publici ingentes in Dianæ Aricinæ ſeu Nemorenſis aſſervabantur, Appiano teſte, a quibus Auguſtus Cæſar mutuum ſæpius accipere dicebat, quod redditurus eſſet cum fœnore? Eodem quoque in Lapide *Reſpublica Aricinorum* nominatur; nec tamen idcirco dicemus continuo (quod imperiti paſſim, & patriæ nimii amatores ſolent) Aricinos id temporis quo hæc facta eſt Dedicatio, ſui juris fuiſſe, nec paruiſſe Romanis, liberamque Rempublicam ſuam adminiſtraſſe. nihil enim magis a vero abhorreret. Id ergo tantum planiſſime ſignificant ea verba *R. P. Aricinorum Servus Arcarius*, *il Teſoriere*, ſive *il Guardaroba del Comune di que' della Riccia*. Ceterum, Collegium Lotorum Aricinorum & Curatores & Procuratores & Sacerdotes ſuos habuiſſe, prima atque altera Dedicatio nos docent; qui ſtatis temporibus a collegis crearentur. Tertia vero *Deanae* Nemorenſi ab Marco Acilio Priſco Egrilio Planario fuit poſita, forte ſub ejuſdem Dianæ ſtatua. In ea *Deanae* pro *Dianae* legitur, mutatione *i* cum *e* litera, Priſcis Latinis aliquando uſurpata. ſic *genetrix* pro *genitrix*, *cives* pro *civis*, *condedit* pro *condidit*, *Duomvires* pro *Duumviri*; & aliis etiam in marmoribus apud Gruterum *Deanae* pro *Dianae*, legere eſt. Quarta vero ſpecioſos *Invictæ*, *Victricis*, & *Sanctæ* titulos Dianæ tribuit. In quam etiam ſuperſtitioſiſſimi veteres alios quamplurimos congeſſere, quos infra recenſebimus. Literæ S. P. V. S. *ſua pecunia votum ſolvit*. Ex quinta, Ædi Aricinæ Dianæ Rectorem nobiliſſimum ex Romanis aliquem conſtitui conſueviſſe, cognoſcimus, qualis ibi nominatur Marcus Arius Marci filius Artorianus, ex Oufentina tribu Eques Romanus, Flamen Flavialis, & Sevir Auguſtalis; qui etiam facel-

lum aliquod intra idem Dianæ templum dotaſſe dicitur. Sexta denique Dedicatio a Marco Tarcheite Marci filio Priſco, Equite Romano, Dianæ Aricinæ Bonæ deæ facta fuit. Ex quo Dianam Aricinam etiam *Bonam deam* aliquando appellatam, patet.

Profecto Diana Aricina omnibus titulis ac nominibus quibus Dianæ numen apud fabuloſiſſimos veteres fuit appellatum, pariter culta eſt. Quorum hic ex probatiſſimis auctoribus ſeriem ſubteximus. Siquidem appellata fuit Diana: *Agrotera, Algidina, Algidenſis, Annivaga, Arcitenens, Aricina, Artemis, Artemiſia, Auctor mortalium corporum, Aventina, Auguſta, Bona dea, Celer pronos volvere menſes, Ceres, Cervicida, Cohibens arcu lyncas & cervos, Conſervatrix, Cybele, Cynthia, Deana, Dea Delia, Decus Nemorum, Delia, Dea Virgo, Dia, Diana, Dictynna, Diva Triformis, Diviana, Domitrix pyrarum, Dux naſcentium, Egeria, Elaphibolos, Epheſia, Facelina, Facelis, Facelitis, Faſcelina, Faſcelis Faſcelitis, Hecate, Jana, Ilithyia, Implacabilis, Incola nemorum, Incola prurarum, Inferna, Invicta, Iſis, Juno Lucina, Laphyra, Latonia, Lochia, Longejaculans, Lucifera, Lucina, Luna, Mater, Montana, Monticola, Montivaga, Montium cuſtos, Multimammia, Nemoralis, Nemorenſis, Nemoroſa, Nemorum cuſtos, Nemorum cultrix, Nemorum virgo, Noctiluca, Nuptialis, Opifera, Opis, Ops, Oreas, Oreis, Oreitis, Pergea, Perſephone, Phœbi ſoror, Pharetrata, Placabilis, Plutonia conjux, Proſerpina, Proſpera frugum, Pupa, Regina undarum, Sagittaria, Sagittifera, Salutifera, Sancta, Scythica, Silveſtris, Silvia, Silvicola, Soteira, Taurica, Tellus, Tergemina, Terra, Triodites, Triodos, Trivia, Venatrix, Veſta, Victrix, Virgo Chitone, Virgo inimica belluis*; & ſi qua ſunt alia in vaſtiſſimo ac pæne infinito fabularum oceano Dianæ nomina, & munia. Quæ non mi-

ni-

nima cura a nobis ex vetuſtis monimentis collecta, & ordine digeſta fuiſſe, ſufficiat; quin ſingula explicare velimus. quod a propoſito nimis inſtituto devios nos abduceret. Pauca quidem ad Aricinam Nemorenſem Dianam peculiarius ſpectantia tantillum illuſtrabimus. *Agrotera* namque Diana noſtra dicta eſt Ligorianis ex Inſcriptionum fragmentis, Græco ἀγροτέρα vocabulo, quod eſt *Venatrix*, ſeu *Venaturæ intenta*. *Captura* enim, ſeu *præda venationis*, ἄγρα, *agra* dicitur Græcis; nobis *la caccia*, *la cacciagione*, *la ſalvaggina*, *la preda*. Atque hac appellatione Diana Aricina peculiariter eſt vocata, quod Nemorenſis regio, circa ejus templum, aptiſſima venatibus ſemper fuerit. Quæ potiſſima quoque fuit cauſſa Veteribus Latinis tot de Diana fabulas his locis appingendi. Eadem, *Domitrix pyrarum* & *prurarum Incola* nominatur in vetuſto Lapide apud Sponium, interioris profecto indaginis, ſic: *o* o *n.* 88.

DIS MANIBVS
PRVRARVM AC NEMORVM INCOLAM
PYRARVM DOMITRICEM DIANAM DEAM
VIRGINEM VXENTIVS V. E. VBIQVE PIVS
SVO NVMINI SEDIQVE RESTITVIT.

Exponit Sponius, quod *prura*, vox Latinis, ut videtur, peregrina, ex Græcia fuerit accepta, ubi φρυρὰ *præſidium* ſignificavit. quodque in montibus fere arces ac præſidia conſtituerentur, Dianaque *monti-vaga*, *monticola*, *montana*, & *montium* eſſet *cuſtos*; proinde *Incola prurarum* vocata fuerit. *pyrarum* vero *Domitrix*, quaſi congeriei arborum; *pyra* enim, Servio teſte, proprie congeries ſive ſtrues lignorum ad cadaver comburendum fuit. Fabrettus tamen, qui oſcitanter a Sponio deſcriptum Lapidem, in hortis Juſtinianeis extra portam Flaminiam ſe legiſſe teſtatur, malum

ipſum

ipſum exſcriptorem caſtigat, & Ceciam vocat nubes congerentem. Lapidem vero ſic refert: *p*

p *Inſcript. c. 10. p. 689. num. 106.*

. . . BRARVM AC NEMO
RVM. INCOLAM
FERARVM. DOMITRICEM
DIANAM. DEAM. VIRGINEM
AVXENTIVS. V. C. VBIQVE
PIVS. SVO. NVMINI. SEDI
QVE. RESTITVIT

In qua lectione omnia jam plane conſtabunt ſi Lapidis exordium ſuppleveris: VMBRARVM AC NEMORVM INCOLAM. cetera. Porro *Opifera* Diana Nemorenſis nominatur in Lapide apud Argolum & Thomaſinum: *q*

q *de Donar. p. mihi* 217.

DIANAE OPIF. NEMORENSI
C. APVLEIVS L. L. ANTIO

quo titulo appellatam, cum iis eruditis viris aſſerimus, ex Æſculapii contubernio; quem cultum, diximus, juxta Dianæ templum. *Veſta* quoque pluribus in Dedicationibus dicitur Diana Aricina, tum quia, ritu Veſtæ ac Veſtalium, perpetua Virginitate gaviſa eſt; tum quia, inſtar Veſtæ, ignis erat; ſcilicet fax Lunaris; tum ob favorem auxiliumque parientibus præſtitum, ſicut Veſta præſtare credebatur; tum ob ſolitariorum locorum & virginum amorem, Veſtæ ſimilem. præcipue tamen ob antiquiſſimum cultum quem Latini Veteres Veſtæ præſtabant; a Trojanis acceptum, atque ob vicinitatem Lavinienſis & Albanæ Veſtæ, de quibus in Lavinienſium atque Albanorum rebus ſatis egimus.

De-

Denique *Virgo Chitone* Aricina Diana dicta est ex Grutero Lapidem vetustum circa Cynthianum & Lanuvium repertum afferente in hæc verba: r

r *Gruter. pag.* 40.

VIRGIN. CHITONE.
SACRVM
C. CARTILIVS. C. L.
LAENAS. ET C. CARTILIVS C. L.
FVSCVS. ET. CARTILIA
D. L. FATIDIA. MATER
STATVAM. EX. AERE
CONLOC.
V. S. L. M.

Sic dictam Dianam, puto a Græca voce χθὼν, χθονὸς, *terra*. siquidem illam sæpe pro *terra* & *tellure* ab antiquis habitam, plane constat. vel *Chitone* dicta est Diana ab *tunica*, quæ Græcis est χιτὼν χιτῶνος. nempe quod succincta tunica, ob venatus expeditionem, semper incederet. Reliquorum vero Dianæ titulorum explicationes & testimonia apud fabulatores legere quisque per sese poterit.

Ceterum, in Aricino Nemorensis Dianæ fano ab Augusti usque imperio ad Appiani Alexandrini historici ætatem ingentes publicique sacræ pecuniæ thesauri servati sunt. Appiani verba: *s Cæsar e fanis pecunias accipiebat mutuo, promittens, se redditurum cum fœnore; e Capitolio, Antio, Lanuvio, Nemore, ac Tibure, in quibus oppidis hodie quoque sunt thesauri pretiosi sacræ pecuniæ.*

s *L. 5. Bell. Civil.*

Quæ res templo Nemorensis Dianæ multo fuit honorificentissima. siquidem inter celeberrima Latii templa idem constituit, qualia profecto Fortunarum Antiatum, Junonis Sospitæ Lanuvinæ, atque

que Herculis Tiburtini fuere. Quin etiam cum Romano Capitolini Jovis templo Nemorenſe templum æquaſſe videntur theſauri iſti ſacræ pecuniæ utrobique repoſiti. Quo nihil celebrius, magnificentius nihil in Orbe Romano fuit. Ex quibus pariter, Nemorenſe fanum munitiſſimum & præſidiis firmiſſimis circumdatum, ad ſacram auri famem, quæ ad omnia ſacra violanda mortalia pectora cogit, propulſandum, fuiſſe, ſatis intelligimus.

Nemoralia in honorem Dianæ celebrata ibidem fuiſſe memorantur. Quæ, feſta, ſacrificia, & ludicra munera fuiſſe, certum eſt, in Nemorenſi exhibita. Num autem eadem cum Idibus Auguſtis, de quibus jam egimus, Nemoralia fuerint, num diverſa, non auſim judicare. In iis tamen celebrandis eadem uſurpata crediderim quæ in Iduum Sextilium celebritate uſurpabantur. Forte etiam illud ſacrificii genus adhibitum fuit in Dianæ Aricinæ Nemoralibus quod Patris in Achaja Dianæ Laphyræ in templo quotannis adhiberi ſolitum fuiſſe, memoravit Pauſanias. *t* Siquidem a Græcis omnem Dianæ Aricinæ cultum Latini ſunt mutuati. Sacrificium autem erat hujuſmodi. Ante ſignum deæ, quod venaticum præſeferebat amictum, ex ebore atque auro fabricatum, quotannis Patrenſes viridia ligna, ſingula longitudinis cubitorum ſexdecim, circa aram in orbem diſponebant; intra aram vero aridiſſima. Clivum ad aram ſub feſtum diem exſtruebant, divæque pompam apparatu magnificentiſſimo tranſmittebant. In ea virgo quæ ſacerdotio fungebatur, poſtrema omnium, cervorum bijugo curru invehebatur. poſtera die, ſacra rite celebrabantur magno cum publico tum privato omnium ſtudio. Intra aræ ſeptum viva animalia conjiciebant, eſculen-

t in Achaicis, ſeu Lib. 7. p. mihi 433.

lentas aves & cujuſvis generis victimas, apros etiam, cervos, capreas, luporum & urſorum catulos. nonnulli prægrandes & adultas feras addebant, & pomiferarum cujuſvis generis arborum fructus. Hæc omnia ſtrue lignorum accenſa comburebantur in Dianæ ſacrificium. Quod ſi feræ vel extra ſeptum, vel etiam extra templum, vinculis ruptis, effractiſque caveis ſepti, aufugiſſent, diligentiſſime undique conquiſitæ in rogum iterum reportabantur, donec omnia cinis evaderent. Hoc autem ſacrificio Dianam nemorum reginam, in quibus animalia quæque, beſtiæ ſcilicet cicures, atque feræ, aves quoque, & ligna tum pomifera, tum cædua ſunt, placare nemorenſium rerum omnium tributo, ſeſe credebant. Ceterum, Diana quemadmodum plurimis diverſis nominibus eſt appellata, ita diverſis quoque plurimis imaginibus efficta fuit. Nam & mammis quam plurimis quaſi Terram rerum omnium parentem illam aliquando effinxerunt, & Lunæ ſignum ſive orbem nunc plenum, nunc primo incremento ſuper caput aut ad latus ſupra bacillum, geſtantem repræſentarunt. Venatricis habitu ſæpiſſime, adjunctis pharetra, ſagittiſque, & cervi cornibus, quæ etiam ad templorum ejus poſtes affigi ſolebant. Inſignis eſt Dianæ Venatricis imago in Corano Lapide, Coræ in Butiorum hortis exſtans; cujus nos exemplum in noſtro de Coranis Libro retulimus. Ibi enim Diana ſtans cernitur Venatricis habitu ſuccincta, haſtam læva tenens, dextera vas, inſtar ſimpuli, ex quo aquam ſitienti venatico effundit cani. Dextrum pariter ejus latus tegit ancilla ex venatricum virginum comitatu una, dexteram papillam exerta, pharetramque ſagittis plenam, atque arcum, quaſi miniſtra, & Dianæ *a ſagittis*, tenens. ſiniſtrum puer nudus in genua Bac-

chi myſteriorum ſive orgiorum ciſtam aperiens, ex qua ſerpens prodit, puerum ipſum terrefaciens. Omnia Dianæ Venatricis ac Nemorenſis fabulis aptiſſima, cujus in templo Lapis fortaſſe olim tabula votiva fuerit.

CAPUT III.

De natura, ſitu, & monumentis Lacus Oppidique Nemorenſis, deque Cynthiano Oppido, in Agro olim Aricino.

PRÆTER ea quæ de Nemorenſi Lacu atque Oppido hactenus inter Aricinorum vetera ſacra, & religiones, neceſſario memorata ſunt; eorumdem naturam & ſitum ceteraque monumenta relatu digniſſima diligentius a nobis hic merito ſunt exponenda. Quibus & de Cynthiano Oppido, in ejuſdem Nemorenſis Lacus margine collocato, & in agro olim Aricino poſito, mentio aliqua adjungenda eſt. Lacus itaque Nemorenſis ab Albani & Aricini montium radicibus non uno fonte producitur, perque occultos meatus cum Albano ipſo Lacu miſcetur, ut antiquioribus & recentioribus Hiſtoricis viſum eſt. Quod Propertium quoque *a* non latuit canentem:

a *Eleg.* 20. *L.* 3.

Albanus Lacus & ſocii Nemorenſis ab unda.

& innuiſſe videtur Horatius dum multitudinis numero *Lacus* dixit Albanos *b* ſic:

b *Lib.* 4. *Ode* 1.

Albanos prope te Lacus
Ponet marmoream ſub trabe Cypria.

ſimiliter & Juvenalis: *c*

c *Satyra* 4.

Utque Lacus ſuperant, ubi quamquam diruta ſervat
Ignem Trojanum & Veſtam colit Alba minorem.

Cra-

Tab. XIII.
SITUS LACUS NEMORENSIS
Sive
Speculi Dianæ priscis Sęculis.
Lacus Nemorensis
Sive
Speculum Dianæ.
Nemus Aricinum
Crypta
Concamerationes
Villa Cajari
Virbius
Aricia
Canalis aquam in Lacum Aricinum
Cynthianum
Aodio Genzano
Lanuvium
vulgo
Civita Lauinia
Lacus
Aricinus
Mons Iouis
Ostium fluvij Numicii versus Patricam
Fons Iuturnæ
Sylva Rutulor:
vulgo della Rota:

Vota figlina in Templo Dianæ Nemorensis, siue Ari-
cinæ, olim collocata, eiusdemque ex ruderibus refossa.

Cratera ſive concha in qua Lacus Nemorenſis continetur, ſex mille paſſuum ambitum, rotundo gyro, complectitur in ſuperciliis; ipſius tamen aquæ margo mille paſſus quatuor, juxta exactiſſimum Kircherii calculum, qui præſens an. CHRISTI CIↃIↃCLXII. utrumque dimenſus eſt. Silvis, magnam partem, id ſpatium occupatur; vineis deinde & pomariis; cepis etiam celebribus Aricinis, nunc *cipolle di Nemi*, prædulcis ſaporis & eximiæ magnitudinis. amœnis autem villis quondam fuiſſe cinctum, veſtigia veterum ædificiorum quæ paſſim ea loca luſtrantibus deteguntur, qua parte maxime vergit in Meridiem, ſatis oſtendunt. Luſtrantibus, inquam; namque intra obſcuras ſubſtructionum cavernas, veſtigia ejuſmodi detegere volentibus, eſt penetrandum. Ambulacra hic mirabilis operis, longe lateque producta, & ſubſtructionum villæ Julii Cæſaris rudera opere reticulato; haud procul ab emiſſario per quod aquæ de Nemorenſi in Aricinum alium quondam Lacum, ut fama eſt, decidebant. Emiſſarii hujus, ſive canalis, aquæductus, aut formæ, os quadratis vivis lapidibus conſtructum, etiam nunc in ſpecum intrantibus detegitur. Verum, neſcias unde, antiquiſſimis ab uſque temporibus, Aricinus ille Lacus, fontibus forte deſtitutus, exſiccatus eſt. Perſpicueque illius ſinus, in vallis rotundæ profundæque modum, ad dexteram oppidorum recentium, Ariciæ atque Cynthiani, euntibus Appia Via, & a Cynthiano Ardeam petentibus, hodieque cernitur. ipſique eumdem magna cum voluptate contemplati ſumus, amœniſſimum ac fertiliſſimum; incolis modo *Valle Riccia* appellatum, in Chiſiorum ditione. De Lacu eodem intercepto, & valle, ejuſque, in caulium præcipue educatione, cultura, ſic Plinius:

d *Lib.* 19. *c.* 8.

nius : *d Nuper ſubiere lacuturres* (caules) *ex convalle Aricina, ubi quondam fuit Lacus turriſque; quæ remanet; capite prægrandes, folio innumeri. Alii in orbem porrecti, alii in latitudinem toroſi. Nec plus ullis capitis, poſt tritianum, cui pedale aliquando conſpicitur; & cyma nullis ſerior.* Porro aquæ Lacus Nemorenſis caput congregatum & in vallem Aricinam decidens molaribus lapidibus duobus ad terendas fruges volvendis, maximo incolarum commodo, factum eſt utiliſſimum. Numicio deinde amni Nemorenſes eoſdem aquarum rivulos originem, vel certe incrementum potiſſimum, præbere, conſtans admodum fama eſt. De quo nos in noſtris, de Ardeatibus atque Laurentibus, Libris fuſe ac minute locuti ſumus. Irrigatur Nemorenſis Lacus, præter occultos, quos initio diximus, perſpicuis tribus fontibus, ex orientali plaga ſcaturientibus. quorum congregantur in unum aquæ ſub arce ædium Frangipanorum erumpentes ex magna rupe, quatuorque prægrandes molares lapides jam ab ipſo ſui exordio convolvendo aptæ. atque hunc fontem ab antiquis *Egeriam*, ab aquarum *egeſtione*, dictum, putamus. limpidiſſimæ hinc, ſaluberrimæ, ac nivium inſtar frigidiſſimæ manare aquæ compertæ ſunt. Horum fontium præcipuum ex antro diximus prodeuntem, cui arx ſive turris Frangipanorum imminet; quod Egeriæ antrum antiquis fuiſſe, creditum eſt, eumdemque fontem vulgato nomine *Gerulo* Kircherius prodidit appellatum; vocabulo quaſi ex antiquo *Egeria* derivato, atque corrupto. Ceterum, Nemorenſis Lacus aquarum altitudo maxima ulnarum triginta longitudinem non excedit. Sedere autem eodem fere ſolio atque Albanus Lacus, deprehenſus eſt, iiſdemque piſcium generibus ſcatere. Nemorenſis autem

ma-

maris æmulus dicitur a Strabone, quod fortaſſe magis ventorum flatibus vicinas motantibus ſilvas agitetur. Crateræ vero Lacus utriuſque ab iſthmo, (ita dixerim) ſive tractu terræ intermedio, mille ducentorum paſſuum tantummodo inter ſe diſtant; ut quodam quaſi ponte conjuncti videantur. Et hæc quidem Nemorenſis Lacus natura, hic ſitus. Illud mirabile cum primis artis opus, & Romanæ magnificentiæ monumentum inſigne, quodque ingentia adhuc ſui veſtigia omnibus conſpicua reliquit, in medio ipſo Lacu quondam ſurrexit. Villa ſcilicet vel a Tiberio Cæſare Romanorum Imperatore tertio, vel a Cajo Caligula ejus ſucceſſore, jactis in imum Lacus ſolum, ad fundamenta, ſingularis ſtructuræ navibus, excitata. Ad quam plumbeis fiſtulis, ſub ipſa Lacus aqua, ex Nemorenſi monte ſcaturienti primum rivo, ſecundum montem ipſum aquæductu excavato, fontem, qui mediam villæ aream irrigaret, ingenti ſumtu & artificio quam maximo Imperator deduxit. Ad fallendos nempe rei miraculo callide hoſpites; quaſi ex imo ipſo Lacu medius naturalis rivus tam alte aquas ejacularet. Rem Kircherius, Ciacconius, Ligorius, aliique ſcriptores, & diligentiſſime omnium Flavius Blondus, Hiſtoricus eorum temporum ſuppar quibus detecta eſt, memoriæ ſic prodiderunt. Proſper Columna, ex antiquiſſima & præſtantiſſima Romana Gente, qui a Martino V. Romano Pontifice patruo ſuo, inter Purpuratos Patres allectus fuit, octava Decembris, a V. P. CIↃCCCCXXX. juxta Ciacconii calculum, cum avita inter gentis ſuæ ditiſſimæ loca, circa Urbem, oppida quoque Nemus atque Cynthianum poſſideret; contigit, ut ab Nemorenſibus oppidanis audiret aliquando, naves bi-

nas

nas in ſuo Lacu ſubmerſas eſſe antiquiſſimis ab uſque ſæculis; quæ nec adeo putres ſint, ut laceratæ funiculos de induſtria alligatos, nec retia caſu implicita tractæ ſequantur: neque tamen integræ ullis Nemorenſium omnium incolarum viribus extrahi poſſint. Quare, ut erat Proſper vir bonarum artium ſtudiis hiſtoriæque deditiſſimus, idemque Vetuſtatis curioſiſſimus ac diligentiſſimus indagator, quidnam parvo, & præaltis undique ripis ac montibus concluſo, in Lacu magnæ naves ſibi voluerint, inveſtigare, animum adjecit. Rem igitur cum Leone Baptiſta Alberto Geometra per ea tempora illuſtri, quique commentaria erudita de Veterum Architectura ediderat, Proſper communicavit. Inveſtigaret porro, qua tandem ratione naves illæ primum adiri poſſent, in imo fundo ſubſidentes; qua deinde arte illinc extrahi valerent, tamdiu tamque tenaciter limo adhæreſcentes. At Albertus, perdifficili in ſe recepta provincia, dolia multos colligata in ordines, ea ratione in Lacu diſpoſuit, ut de ipſis, tamquam pontibus, hinc atque inde penderent machinæ; quibus, harpagone ferreo denſioribus appenſo rudentibus, captam mordicus navem fabri peritiores lignarii attraherent. Inter hæc natatores peritiſſimi ab ora uſque Liguſtica conducti aderant, piſcibus quam hominibus ſimiles; quorum partes fuerunt, in Lacus profundiora natando deſcendere, & quanta eſſet navis, quamque integra, pertentare; demiſſos quoque funibus harpagones in morſum capturamque applicare. tandem capta ligataque ad proram navis, cum integra non ſequeretur, fracta eſt. ejus tamen particula trahentes harpagones eſt ſecuta. Spectaculo fuit omnibus Romanæ Curiæ nobilioris ingenii viris, quos rei novi-

tas

tas & exſpectatio ad Nemorenſem Lacum convocaverat, particula navis, ob artificioſiſſimam ejus ſtructuram; quæ hujuſmodi deprehenſa eſt. Navis tota larice arbore, ex quercuum genere, tabulis trium digitorum craſſitudinis, compacta erat; bitumine extrinſecus delibuta, quod croceo quodam ac purpuriſſante velamine olim contextum atque contectum fuiſſe, apparebat: ad hæc, ſuperficies tota plumbeis quibuſdam ſubtiliſſime extenſis laminis, quaſi chartis, contecta, imbribus ſolibuſque prohibendis. quas quidem chartas claviculi, non ut nunc aſſolet, ferrei, ſed ærei ex parte, frequentes infixi, uſque adeo compreſſerant, ut omnis humor ab interiore navis compagine penitus arceretur. Interior navis pars non ab imbribus magis ac quovis alio humore, quam ab igne & ferro fortiſſimam habuit defenſionem. Nam cum argilla & creta quidquid ligneæ ſoliditatis navem intus compegerat, ad digiti unius craſſitudinem, tectum delibutumque eſſet; ferrum vehementi igne concoctum liquefactumque deſuper infuderunt; quo ad digiti unius modo, modo duorum, craſſitiem ſenſim dilatato; tantumdem magnitudinis ferrea, ita dixerim, habuit navis, quantum laricea prius habuerat. Rurſum ferro alia argillæ ac terræ bituminatio, vel, ut olim in ædificiis appellabatur, *complaſtratio* ſuperinfuſa eſt. obſervatumque, ut concocto liquefactoque ferro, priuſquam refrixiſſet, argilla & creta eodem decoquendæ calore ſtatim ſuperinducerentur. quo & ſubſtrata & ſuperius deducta argilla unum denſiſſimum, ac pæne impenetrabile, bitumen ex lateritio & ferreo commixtum evaderent. Ceterum, dum ſic expiſcandæ navi omnis undique inſudat multitudo; fiſtulæ in fundo Lacus inventæ ſunt plumbeæ permultæ, bicubitali lon-

longitudine, firmiſſima craſſitudine; quas mutuo morſu invicem ſeſe excipientes in quantumvis maximam longitudinem producere quondam licuit. Earum vero ſingulis eleganter inſculptæ literæ erant: *TIB. CAESAR AVG.* Tiberium ſcilicet Cæſarem Auguſtum eximii forte operis ac mirabilis auctorem ſive juſſorem indicantes. Has fiſtulas Albertus ceterique architecturæ periti viri productas cenſuerunt ab antro uſque & fonte Egeriæ ad medium ædificii, ſeu villæ ſuper navium illarum fundamenta excitatæ; in quo limpidiſſimas frigidiſſimas & ſaluberrimas Egeriæ aquas ejacularentur. Sed ab Egeriæ antro hæ fiſtulæ minime cœperunt; cum inde aqua ad fontem villæ deducta non fuerit. verum ex contraria parte qua rivus ex Nemorenſi monte deſcendens aquæductu in latus montis ipſius excavato teſtaceis primo canalibus, mox plumbeis ipſis fiſtulis in villæ medium eſt derivatus atque productus. Cujus rei perſpicua argumenta plumbeæ ipſæ fiſtulæ & teſtacei imbrices inventi omnes ex ea parte quam dicimus, nulli vero ex parte antri Egeriæ, omnibus eſſe potuerunt. Ceterum, una omnium ſententia fuit, eas naves tam ſingulari ſtructura compactas, tamque alte demerſas in imo Lacus fundo, ad fundamenta villæ, ſive ædium Cæſarum, unice inſerviiſſe. qui inſulam veluti nativam cum Prætorio, ad oſtendendam potentiam atque magnificentiam ſimulare ac repræſentare voluerint. Neque enim, (quod Kircherius innuit tantum) hæ naves naumachiarum reliquiæ quas in Nemorenſi Lacu Cæſares repræſentaverint, ullo modo eſſe potuerunt. Ut quid enim tam grandes, ut quid ſtructura illa mirabili compactæ fuiſſent? ut quid tam alte ſtabiliterque demerſæ? cum e contrario ad naumachiam

aptæ

aptæ naves, parvæ potius, in parvo præcipue lacu, ac leviſſimæ requirerentur. Ceterum, quod in aquis naves demergi & conſueverint olim & nunc quoque ſoleant, ad ſuperimponenda ſuſtentanda ædificia, ſatis compertum eſt. Nam, inter cetera, & Claudius Cæſar ingentem navim in portu Oſtienſi demerſit, cui moles immanes ſuperædificavit; quemadmodum in noſtro de Oſtienſibus Libro memoravimus; Cajuſque Caligula quamplurimas in Bajano & Puteolano ſinu ad utrumque ponte conjungendum; cujus nos quoque veſtigia adhuc exſtantia ſuſpeximus; in altum jecit. & in Januenſi Liguriæ portu idemtidem recentioribus ſæculis hoc factitatum, atque alibi fuiſſe, accepimus. Porro clavi majores quibus Nemorenſes naves conſtructæ erant, duorum cubitorum longitudinem æquabant; iique a capitibus dimidiam partem ærei, ceterum ferrei; ac, tot poſt ſæcula, tam nitidi ac perpoliti, quaſi recens elaborati eſſent, reperti ſunt a piſcatoribus. qui poſt annum CHRISTI MDCXC. fragmenta quoque laricea, piſcium loco quos quærebant, iiſdem ex navibus, non minima retium injuria, ſæpe traxerunt. Ædificium his navibus ſuperimpoſitum ligneum fuiſſe, ſcriptores communiter exiſtimarunt: quamquam pretioſis idem marmoribus undique conveſtitum, Ligorius memoret, & pavimentis etiam teſſellatis admodum ſumtuoſe inſtratum. Quæ, quamvis probabili ſatis ex conjectura dicantur; cum ceterarum a Cæſaribus villarum ædificatarum hæc fuerit magnificentia; nullus tamen veterum, quod quidem ego noverim, horum meminit. Forte id Ligorius ex reliquiis fragmentiſque marmorum aliquando ex eo Lacus fundo expiſcatis, potuit ſtabilire. Certe idem refert, vulgatam anilem apud Nemorenſes ſua

ætate fabellam; ſcilicet *Lavinia*, ſive *Æneæ*, *navem* in hoc Lacu demerſam reliquias illas veterum navium quas hactenus deſcripſimus, vocitatas; quam, ex majorum traditione, credebant in hoc Lacu demerſam una cum ingentibus pecuniæ theſauris. Nec homines creduli defuere, qui ob auri ſacram famem & ſitim, ad ima uſque Lacus theſauros illos latitare creditos expiſcari conati ſint. Quorum tamen ſitis aquis tantum, & fames arenis impleri potuit. Attamen, præter cogitationem, theſauri genus aliud, eruditis viris pretioſius quandoque auro, detexerunt, Inſcriptionem ſcilicet veterem in hæc verba:

C. CAESAR. D. AVGVSTI FILIVS
D. IVLI NEP. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
TRIBVNIC. POTEST. IIII
IMP. II. COS. IIII. P. P

e v. Lachi. Ex his *e* Ligorius admirabilis ædificii ſeu villæ auctorem Cajum Caligulam Romanorum Imperatorem quartum exſtitiſſe, putavit. Quod tamen ex allatis verbis non eruitur. Potuit enim hæc Inſcriptio (ſi tamen antiquitus in ædificio Lacus Nemorenſis ſita fuerit) id tantum ſignificaſſe, Cajum nempe Tiberii ſucceſſorem, poſt illum, loci dominum fuiſſe; eumdem ornaſſe, eodemque delectatum. Quod quidem dicendum videtur attendentibus plures Inſcriptiones fiſtulis plumbeis inciſas cum Tiberii Cæſaris Auguſti nomine; quem, utpote ante Cajum, mirabilis ædificii auctorem convenientius multo putamus. Ceterum, neque fiſtularum Inſcriptio Tiberio ſatis inventoris & auctoris gloriam aſſerere poteſt.

Cur

Cur enim ſucceſſor in Imperio Cajus fiſtulas plumbeas ex aliis a Tiberio aquæductibus ædificatis in Nemorenſem ſuum admirabilem fontem aſportare non potuerit? cum ceteroquin idem ab Imperatoribus ſæpiſſime factitatum, noverimus. Ut, ſcilicet, ſucceſſor, deceſſoris nomini ac gloriæ invidens, ab ejuſdem præclarioribus ædificiis ſelectiora miracula in nova ab ſe condita opera, ornatus gratia, tranſduceret. Quod & Hadriani villæ in Tiburtino ab Antonino Caracalla ornamentis præcipuis exſpoliatæ, in ornatum Antoninianarum ſuarum Thermarum prope Capenam portam translatis, accidiſſe certiſſimum eſt; & Triumphalibus Arcubus multis in eadem Urbe. Illud etiam pro Nemorenſis ædificii auctore aſſerendo Caligula facere poſſet; quod, monſtris hiſce villarum monſtroſiſſimi ipſum ingenii hominem ſummopere delectatum, ſcimus. Siquidem (Suetonii verba) *In* f *exſtructionibus Prætoriorum atque villarum, omni ratione poſthabita, nihil tam efficere concupiſcebat, quam quod poſſe effici negaretur. Et jactæ itaque moles infeſto ac profundo mari, exciſæ rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foſſuris montium juga, incredibili quidem celeritate; cum moræ culpa capite lueretur.* Caligulæ quoque fuit ædes in ramis ſpatioſiſſimæ arboris in Veliterno ſuo rure ſitæ exſtructa, ubi cœnatio, & triclinia; in quibus cœnam cum amicis habitam *nidum* congruo vocabulo appellavit. De qua nos ex Plinio egimus in Veliternis. Denique apud Dianæ Nemus Caligulam ruſticatum aliquando, ut credamus, & illud facit; quod Nemorenſi Aricinæ Dianæ ſacrificulo, *Regi* vocato, quia multos jam annos in ſacerdotio illo haberet, fortiorem ſubornavit, qui eum interficeret, ejuſque vice, regno potiretur. ut in ſuperio-

f *Suet. in Calig. c.* 37.

ribus memoravimus, ex Suetonio. Ceterum, rem definire, litemque ſuper hujus Nemorenſis ædificii mirabilis auctore decidere, ſapientiorum virorum erit. nos enim injudicatam illis dimittimus. Si tamen ædificii Cajus fuiſſet auctor quarto ſuo Conſulatu, ut habet Inſcriptio in fundo Lacus reperta; jam naves illæ ad ædificium ſuſtentandum tam mirabili artificio fabricatæ fuiſſent anno ab U. C. IↃCCXCIIII. Chriſti vero XL. ſiquidem in hunc annum, juxta meliorem calculum, incidit quartus Caji Cæſaris Conſulatus. ac proinde annos mille ſexcentos & nonaginta ſex hactenus ea navium rudera, quæ adhuc exſtant, perduraſſent, in annum Chriſti quo hæc ſcribimus milleſimum ſeptingenteſimum trigeſimum ſextum. Si vero a Tiberio Caji deceſſore fuerint fabricatæ, amplius etiam ſpatium annorum forent ſuperſtites. Ceterum, Ligoriana hæc Inſcriptio de Cajo Caligula multum ſuſpicionis eamdem conſiderantibus injicit, ne ſpuria aut ſuppoſititia omnino ſit. In ea enim Cajus Caligula dicitur *Divi Auguſti filius* & *Divi Julii nepos*, quæ, proprie loquendo, falſa ſunt. Fuit namque Cajus ejuſdem Auguſti *pronepos*, ut in ejus nummis legimus, & ex hiſtoria conſtat. Julii autem Cæſaris per Auguſtum *abnepos* dicendus eſſet. Rurſum in eadem Inſcriptione Cajus ſignatur *Imperator ſecundum*. quod ſignificat ſecundam illum bellicam expeditionem ſuſcepiſſe, in exercitu Imperatorium munus obeuntem. hæc enim legitima eſt ſententia illorum verborum, quæ paſſim in nummis Cæſarum leguntur. neque ſignificant annorum numerum quibus Rempublicam ſive Romanum Imperium adminiſtrabant. At Cajus vix ſemel bellicam expeditionem Imperatorio munere ſuſcepit. Quare vel hæc Inſcriptio fictitia fuit omnino; vel

loco

loco primæ litteræ C. legenda eſt ſyllaba *Ti.* nempe *Ti. Cæſar C. Aug. F. D. Jul. Nep.* Tiberius enim fuit Auguſti filius adoptione, & vi ejuſdem, Julii nepos. quæ emendatio, ſi poſſet ſtabiliri, cauſſam, jam omni ſublata dubitatione, Tiberio Cæſari de Nemorenſium navium ſtructuræ atque ædificii inventione adjudicaret. Situs ubi harum navium ſubmerſarum adhuc cernuntur veſtigia, prope Piſcatorum Caſulam eſt, duplici ſagittæ jactu, Cynthianum oppidum verſus. Ceterum, hic Lacus ſæpiſſime *Nemorenſis* eſt appellatus, aliquando etiam *Aricinus* & *Dianius* & *Artemiſius* ab Diana, quæ Græcis eſt *Artemis*. *Dianæ* quoque *ſtagnum* & *ſpeculum*, ob limpidiſſimas aquas, quibus Diana, templum & vicinas ſilvas incolens (ut fabulæ) pro ſpeculo uteretur. Eumdem Poetæ g *Lacum Hippolyti*, *Triviæ*, vel *Egeriæ*, varias ob fabulas, in ſuperioribus a nobis expoſitas, nominaverunt. Modo communiter *Lago di Nemi*, aut *di Genzano*, vel *della Riccia*, ab oppidorum cognominum vicinitate vocatur.

g *Virgil. Ovid. Stat. Sil. Italic. apud Cluver.*

Nemus oppidum antiquiſſimum fuiſſe exiſtimaverim, & celeberrimi Dianæ templi ferme æquale. Ex hujus namque occaſione & opportunitate coaluiſſe diximus. ut Dianam veneratis veneraturiſque hoſpitibus diverſoria ſuppeterent, ad curanda corpora. Ab *nemore* ſeu *luco* & *ſilva* nomen accepit; quod in nemoribus fuerit excitatum; a verbo Græco νέμω, quod eſt *paſco*. ſignificat enim *nemus* proprie amœnam ſilvam in qua greges & armenta paſcuntur: cum *ſaltus* ſilvam ſignificet in montibus in qua paſcuntur jumenta: & *ſilva*, collectionem arborum cæduarum: *lucus* vero, religioſarum, ſive diis ſacrarum, ex Laurentii Vallæ ſententia. promiſcue tamen hæc vocabula ab Latinis ſunt uſurpata. An-

ti-

tiquum autem oppidum ſeu priſcum pagum *Nemus* nomine circa Dianæ templum olim exſtitiſſe, conſtruendi ejus occaſio, ſcilicet cultorum Dianæ frequentia facile ſuadet. quod templum eo loco ſitum fuiſſe creditur ubi ſubſtructionum & fornicum fragmenta illa adparent circa Lacum, Cynthianum verſus, quæ vulgo dicunt *Le Grotte del diavolo*. Longius inde poſterioribus ſæculis, & quidem Chriſtianis oppidum *Nemi* excitatum eſt. Quod excelſo quidem loco conſtructum dixeris oppidum, ſi Lacus ima, quibus imminet, reſpexeris. cum tamen ſilvis undique protegatur, hinc fit, ut longe conſpicuum minime ſit. In eo vetuſtorum ædificiorum quæ Romanam veterem ſtructuram oſtendant, ſupra terram relictum nihil. Turris quidem cernitur operis eximii, quæque antiquitatem aliquam præſefert; non tamen illam de qua quærimus. Hanc quidam apud Kircherium *Dianæ turrim* dixere, quaſi pars olim fuerit Dianæ Nemorenſis templi eo loco ſiti. cujus in ſubſtructionibus antrum exſtans cum fonte, *Gerulum* vulgari vocabulo appellatum dicunt, quaſi antrum Egeriæ. Quid certi ſtatuam ſuper his non habeo. Puto tamen cum peritioribus harum rerum veſtigatoribus, eam turrim Chriſtianis ſæculis ædificatam ab oppidi Nemorenſis regulis, ad civilium bellorum propulſandas injurias; quando frequentiſſimus in Italia ſimilium ædificiorum uſus fuit, ob inteſtinas ſeditiones factioneſque innumeras inter vicinos oppidorum regulos dominoſque. Eſt enim hæc Nemorenſis turris pars ædium Frangipanorum, loci dominorum; fuitque etiam antiquitus ædium principum pars. Illam curioſe atque exacte admodum Kircherius dimenſus eſt; prodiditque, rotunda figura, altam eſſe pedes centum viginti. Cujus medium

inte-

interius ſpatium paſſus quinque & viginti latum ſit; ambitus vero extrinſecus paſſus triginta; murorumque latitudo paſſus quinque. Turrium frequentia per Italiam, locis præſertim haud ita procul a mare conſtitutis, decimo fere Chriſti ſæculo cœpta exiſtimatur Sigonio, non inteſtinas tantum propter ſeditiones, & civilia bella; verum ob Saracenorum potiſſimum cavendos incurſus, mediterraneum aſſiduis excurſionibus infeſtantium. Ceterum, Nemus oppidum ſequioribus Latinitatis ſæculis *h Maſſa Nemorenſis* dictum eſt. quæ vox *fundum cum colonis domibuſque*, iis temporibus, ſignificabat. Columnenſium quidem Gentis Romanæ nobiliſſimæ aliquando in ditione fuit. verum ab antiquiſſimis uſque temporibus Frangipanorum regulorum ex Anicia Romana Gente generoſiſſima. a quibus etiam ædibus magnificentiſſimis eſt auctum, & hortis cultiſſimis. Viæ quoque quaquaverſum, deciſis rupibus atque arboribus, apertæ, expeditæ, atque æquatæ, tanta cura atque ſolertia, ut ex amœniſſimis Latii ſeceſſibus præcipuum, Nemus evaſerit. & priſca illa Romanorum ei redierit celebritas, qua ab Statio Papinio inter ſuæ ætatis amœniſſimos frequentatos ſuburbanos ſeceſſus eſt numeratum. Adeo ut nunc quoque de Romanis ruſticantibus merito uſurpare poſſimus autumno & vere adventantibus: *i*

h *Anaſtaſ. in Silveſtro.*

i *Stat. Silv. lib. 4. Carm. 4. ad Marcellum.*

Ardua jam denſæ rareſcunt mœnia Romæ.
Hos Præneſte ſacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra.
Tiburis hi lucos Anienaque frigora captant.

Quas hodie delicias poſſident excoluntque Frangipanii germani fratres duo, clariſſimi viri, bonarumque artium fautores amantiſſimi; MARIUS, Senator Urbis ab CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, ob

ob vetuſtiſſimæ Gentis nobilitatem, eximiamque vitæ integritatem, creatus; quo in munere tot jam annos principibus viris ſingulare probitatis, omniumque virtutum exemplum lucidiſſimum ſeſe exhibet: & Marchio POMPEJUS antiquæ probitatis vir, & optimæ notæ; quodque perrarum eſt in ſplendida fortuna natis, bonarum artium cultor idem addictiſſimus, & fautor propenſiſſimus. cui, pro veteribus Nemorenſis regionis monumentis a ſe diligentiſſime collectis, nobiſque amiciſſime communicatis, multum debere profitemur. Ædibus hiſce horti continuantur ad ima Lacus; quos cum pomariis augere ſimul atque exornare ſtuderet Marius idem vir clariſſimus, Reparati Orbis anno ſeptingenteſimo octavo poſt milleſimum, effoſſa altius terra, antiqui operis ambulacrum detexit; cujus in ſiniſtro latere cellæ permultæ; quas, de more, ſervorum ergaſtula peritiores fuiſſe dixerunt. In his urnæ plurimæ vel cinerariæ vel etiam aquariæ repertæ. vacuæ omnes; quarum pars, acuto fundo, ut ſolo infigerentur in columbariis & ſepulcretis, mortualem ſeſe prodebat: pars vero amphoras imitata, dubium num aquæ deferendæ, num cineribus claudendis fuerit deſtinata. Circa locum, cloaca quoque detecta eſt, oſtrearum putaminibus oppleta; quarum piſces Romanos veteres apud Nemorenſem Lacum ruſticantes comeſſe, merito quivis dixiſſet. Amphitheatri neſcio cujus a Domitiano conſtructi in Nemorenſi, ſubobſcura quædam apud accolas fama vagatur. illiuſque veſtigia nonnulli putant veterum ædificiorum rudera quæ adhuc in Nemorenſi in vinea Fabiani cujuſdam apparent; ea vero ſunt muri pars ex cocto latere, antiquam Romanam ſtructuram referens, in circuli formam vergens, cum graduum veſtigiis ad aſcenſum;

ſum; portæ fragmentum, atque ſcalarum, & areæ ſuperioris ad ſpectacula complanatæ. Kircherius Domitiani Amphitheatrum exhibet prope Lacum Albanum, in Tabula quam nos hic Albanis monumentis inſeruimus; & partem villæ Domitiani Albanæ fuiſſe, exiſtimavit. Forte idem cum Nemorenſi fuit; cum Lacum inter utrumque exſurgeret. quod ex Martialis a nobis allato teſtimonio, ubi de Villis Albanorum ageremus, confirmari poterit.

Jam vero Lacui Nemorenſi & aliud imminet oppidum, contra Nemus, *Genzano* vocitatum ex antiquo *Cynthiano*, ut eruditioribus quidem videtur. Nomen a Cynthia, quæ eadem fuit ac *Diana* & *Luna*, derivatum merito credimus. quod hoc loci vel templum aliquod peculiare diverſum ab Nemorenſis Dianæ templo, vel certe ſacellum aut lucum veteres ſuperſtitioſe dedicaverint, *Cynthiæ* nomine. Quod confirmari poſſe videtur ex Sponio, Lapidem, prope Cynthianum oppidum, repertum afferente, his notis inſcriptum: *k*

k *Sect.* 3. *pag.* 90.

LVNAE INVICTAE
CAMPESTRI
SACRVM
D. IVNIVS. SEX. F. VELINA
IANVARIVS. PROCVR
LVDI GALLIC. ET
IVNIA. CASTA. CVM. SVIS
VOT. SOLVER

Diana enim quæ & Luna, ideo *Cynthia* dicta eſt, quemadmodum & Apollo frater ejus *Cynthius*, quia in monte Cyntho inſulæ Deli nata educataque fuit ſimul cum fratre. *l* Sic Horatius:

l *Od.* 28. *L.* 3.

Tu curva recines lyra
Latonam, & celeris ſpicula Cynthiæ.

m *Lib.* 1. Et Lucanus: *m*

Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu.

Unde inter Euganeos quoque colles, circa Patavium, mons Cynthius eſt vulgo *Cinto* haud ita procul ab alio colle Euganeorum omnium altiſſimo, *Venda* nominato, ubi olim ſacra *Bendidia*, ſcilicet Dianæ Bendidiæ celebrata fuiſſe, tradit Pignorius in Originibus Patavinis. Ceterum, Apollinem, Cyn-

n *Od.* 21. *L.* 1. thium dixit Horatius: *n*

Intonſum, pueri, dicite Cynthium.

o *Ecl.* 6. & Virgilius: *o*

- - - Cynthius aurem - - - Vellit & admonuit.

Pars adhuc vetuſtior præſentis oppidi Cynthiani *Genzano Vecchio* appellata, Lacui imminere cernitur: cum novum oppidum eidem jam non immineat, verum in ſiniſtrum Appiæ Viæ latus deſcendat, recentibus conſtructis ædificiis ac villis ſane perpulchrum. Hæc inter, Cæſarinorum Ducum ædes in altiori oppidi parte conſurgunt multo magnificentiſſimæ. circa eas quaquaverſum ambulationes illæ amœniſſimæ arboribus hinc & inde perpetuis, quaſi quibuſdam parietibus, ſeptæ munitæque vireſcunt, advenarum ruſticantium meridiantiumque deliciæ excultiſſimæ, vulgo *li Viali di Genzano*. Quamquam enim ſumma ſint arte conſitæ arbores ejuſmodi, ſtatiſque temporibus in annos, quodam quaſi topiario opere, aliquatenus tondeantur; habent nihilominus ab ipſa natura vel ſoli vel ſeminis certum quemdam vireſcendi modum, denſitate atque æqualitate frondium, etiam ſine ferro, tonſas quam ſimillime ut imitentur. Quod & ceterarum paſſim circa Nemorenſem Lacum arborum proprium vi-

de-

detur. Ex his unam ad Cynthianum oppidum se vidisse Kircherius memoriæ prodidit, incredibilis pæne magnitudinis; utpote quam trunci cavitate hominibus viginti quinque commodum præbendi hospitium capacem deprehenderit. Cujus etiam oppidanorum fuisse opinionem dixit, quasi illam Julius Cæsar, qui villam habuit in Nemorensi, eo loci seviſſet. Porro Cynthianum oppidum cum Nemore, fontibus derivatis irriguum olim fuisse, aquæductuum non obscura vestigia in præsens exstantia testantur. quibus etiam nunc, non graviſſimo sumtu restitutis, ingentia eadem aquarum commoda revocari utrique oppido facile possent; nisi (quod conterminorum fere est) lites discordiæque inter oppidanos vetustæ opponerentur.

Apud Cynthianum pariter antiquitus fuit vel templum vel sacellum aut saltem ara deæ Spei; siquidem in hoc oppido Dedicatio talis effossa est: *p*

p *Fabret. cap. 10. pag. 698.*

SPEI
TEVCVS
MVLVIO
DON. D.

Ibidem, in hortis Cappucinorum, Lapis legitur Thoriæ gentis Lanuvinæ, quem in nostro de Lanuvinis Commentario recitavimus.

CAPUT IV.

De Colonia Aricina & Municipio, Aricinorumque rebus gestis.

MEMORATIS hactenus, quæcumque de veterum Aricinorum sacris & fabulis Græci Latinique prisci scriptores prodidere; veteris quoque urbis Ariciæ Agro, Lacu, Nemore utcumque illustrato; ut de ipsa Colonia Aricina, ejus scilicet statu, rebus gestis, ac juribus aliquid proferamus, hic supereſt. Profecto si Ariciæ urbis originem cum C. Julio Solino ad Archilochum referamus, ut Libri hujus sub initium significavimus; eam utpote omnium Latinæ hujusce regionis sibi proximorum oppidorum antiquissimam, non modo sui juris primitus exstitisse, verum & in vicinos populos aliquod aliquando imperium exercuisse, dicendum convenienter omnino erit. Cum tamen in abdita vetustissimorum illorum temporum acta nullus quamtumvis lynceus historici scriptoris oculus, non dicam poetæ ingenium pro libito quæcumque fingentis penetrare jam possit; in remota minus ac minus obscura intendentes, Ariciam urbem regionis Albanæ partem computatam in Latinorum regno fuisse, confirmabimus. Illud tantum innuentes; Aricinos contra Æneam pro Turno sumsisse arma, eique milites, duce Virbio Hippolyti filio, misisse, a Virgilio memorari elegantissimis carminibus, in quibus totam Hippolyti fabulam narrandi, opportunam occasionem sumsit; quemadmodum suse in superioribus jam docuimus: *a*

a *Æneid. L.* 7.

Ibat

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius: inſignem quem mater Aricia miſit
Eductum Egeriæ lucis, humentia circum
Littora; pinguis ubi & placabilis ara Dianæ.

Quamquam autem urbi dominæ, ſcilicet Albæ Longæ, propinqua adeo fuerit Aricia, ut ab ea mille paſſus quinque, ad ſummum, diſtaret; non tamen ab adeo ſibi vicinæ dominæ potentia, majeſtate, ac frequentia, quod plurimis ac fere ſemper contigiſſe videmus, abſorpta fuit. Siquidem Ariciam claris viris floruiſſe vel ſub ipſo Albanorum regno, prudenter exinde eruimus; quod ſub regibus quoque Romanis principes viros ſuos eadem habuiſſe legatur. Inter hos Turnus Herdonius memoratur, qui cum Tarquinii Superbi Romanorum regis ſeptimi atque ultimi filiæ nuptias olim ambiviſſet; Octavio Mamilio Tuſculanorum principi, quem generum ſibi Tarquinius acceperat, poſthabitus, ingentes inimicitias ultro cum rege ſuſcepit; illaſque exercere publice ac palam in univerſi Latini Nominis ad Lucum Ferentinæ indicto Concilio, non formidavit. De illo ſic Livius: *b Jam magna Tarquinii auctoritas inter Latinorum proceres erat; cum in diem certam, ut ad Lucum Ferentinæ conveniant, indicit: eſſe, quæ agere de communibus rebus velit. Conveniunt frequentes prima luce. ipſe Tarquinius diem quidem ſervavit, ſed paullo antequam Sol occideret, venit. multa ibi toto die variis jactata ſermonibus erant. Turnus Herdonius ab Aricia ferociter in abſentem Tarquinium erat invectus. Haud mirum eſſe, Superbo ei inditum Romæ cognomen: (jam enim ita clam quidem muſſitantes, vulgo tamen eum appellabant) an quicquam ſuperbius eſſe, quam ludificari ſic omne Nomen Latinum? principibus longe ab domo excitis, ipſum qui Concilium indixerit, non adeſſe:*

b *Lib.* 1.

ten-

tentari profecto patientiam; ut si jugum acceperint, obnoxios premat. cui enim non apparere, affectare eum imperium in Latinos? quamquam ne sic quidem alienigenæ deberent. sin suos ejus pœniteat, quippe qui alii super alios trucidentur, exsulatum eant, bona amittant; quid spei melioris Latinis portendi? si se audiant, domum suam quemque inde abituros; neque magis observaturos diem Concilii, quam ipse qui indixerit, observet. Hæc atque alia eodem pertinentia seditiosus facinorosusque homo, hisque artibus opes domi nactus, cum maxime differeret, intervenit Tarquinius. is finis orationi fuit. Hactenus Livius: qui, jurgari Aricinum hunc virum principem cum ipso Tarquinio rege coram, non formidasse, subjungit, aitque mox: *Hæc Aricinus in Regem Romanum increpans ex Concilio abiit.* Caro tamen stetit hic animus Herdonio, qui per dolum malum interceptus, Superbo capitales pœnas dedit. Tarquinius enim per adversæ quosdam factionis Aricinos servum Turni auro corrupit, in diversorium ejus vim magnam gladiorum inferri clam, sineret. ea cum una nocte perfecta essent; Superbus postera luce in Latinorum Concilio, palam edicit, a Turno sibi & primoribus populorum parari necem, ut Latinorum solus imperium teneat; gladiorum idcirco ingentem numerum esse ad eum convectum; rogare eos, ut inde secum ad Turnum veniant. Suspectam fecit rem & ingenium Turni ferox, & oratio hesterna, & mora Tarquinii. Ubi eo est ventum; Turnum ex somno excitatum circumsistunt custodes; comprehensisque servis, qui caritate domini vim parabant; cum gladii abditi ex omnibus locis diverticuli protraherentur; enimvero manifesta res visa, injectæque Turno catenæ; & confestim Latinorum Concilium magno cum tumultu advocatur. Ibi tam a-

trox

trox invidia orta est, gladiis in medio positis, ut indicta caussa, novo genere lethi, dejectus ad Caput Aquæ Ferentinæ, crate superne iniecta saxisque congestis mergeretur. In Turni itaque ipso infortunio illud animadvertere licet, floruisse sub Romanis Regibus Ariciam urbem civium opibus ac potentia in tantum, ut magnas Aricini principes simultates & factiones inter sese exercerent; & eorum aliqui non modo ad regias aspirarent nuptias, verum & commune Latinorum omnium Imperium, si prospere res cessisset, captare auderent. Turni casum Dionysius paullo aliter exposuit; *c* eum scilicet conditionem accepisse, structi in se clam doli ignarum, si gladiorum eam vim comportatam, quam Superbus calumniabatur, domi suæ Latini proceres deprehendissent, non recusaturum se mori: si secus autem invenissent, plecterent capitali pœna calumniæ auctores. Rursum, non servum unum tantummodo, in dominum conjurasse, & doli structorem ac machinatorem fuisse, sed plures. liberum denique Turnum in Concilium secundo venisse, & ad inquirendum de conjuratione, domum suam Latinos sponte invitasse, a quibus detectis coadunatis gladiis, non permissum illi amplius quicquam pro se hiscere, sed vivum in voraginem quamdam projectum, & terra obrutum. At hæc quidem levia inter utriusque scriptoris, Livii Dionysiique rei narrationem fuerint discrimina. Illud non ita; quodque ad rem nostram magis interest; ab Dionysio scilicet hunc Turnum *d* Herdonium non *Aricinum*, ut ab Livio, sed *Coriolanum* patria dictum fuisse. Ait enim Dionysius rem narratam hactenus persecutus: *Turnus Herdonius a Coriola, opibus pollens & amicitiis, vir militaris, civili tamen facundia præditus.* cetera.

c *Ant. Rom. Lib.* 4.

d *Ant. Rom. Lib.* 4.

Ego

Ego vero nec refigo dictum, nec muto de Turni patria ſententiam, & triplex Livii mei teſtimonium clariſſimum ac planiſſimum ſecutus, Turnum Herdonium Aricinis ſuis aſſero, atque confirmo. Certe Livius diſerte inquit primo: *Turnus Herdonius ab Aricia*. deinde de eodem locutus: *Hæc Aricinus in Regem Romanum increpans Concilio abiit*. Tertio denique: *Per adverſæ factionis quoſdam Aricinos ſervum Turni corrupit* (Tarquinius.) Ut autem ſua & Dionyſii dicto ſtet veritas atque fides, (ſi tamen ſcripſit ipſe *ab Coriola*, neque exſcriptores librarii mendoſe id pro *Aricia* ſubſtituerunt) primam originem dicemus Turno fuiſſe ab Coriolis oppido, Ariciæ quam proximo; ortum tamen, domicilium & principatum in ipſa Aricina urbe eidem exſtitiſſe. Neque vana erit hæc interpretatio conſiderantibus, Dionyſio morem fuiſſe, has primas rerum atque hominum origines ſollicite inveſtigare, & proponere.

Anno autem, poſt exactos ab urbe Roma Reges, quarto, Conſulibus Sp. Largio, T. Herminio, Aruns Porſenæ Etruſcorum *e* regis filius, illius qui pro Tarquiniis reſtituendis celeberrimum illud tot fortitudinis Romanæ prodigiis, Coclitis, inquam, Mucii, Cloeliæ & ſociarum obſidum, bellum adverſus ipſum Romanum Populum geſſerat; Aruns, inquam, poſt pacem Romanis datam, dimidium exercitus a patre acceptum duxit ad Ariciam, volens ſibi proprium principatum acquirere: & cum parum abeſſet quin urbe potiretur, ſupervenientibus Aricinorum auxiliis ab Antio & Tuſculo, Cumiſque Campaniæ, acie congreſſus cum majore vi hoſtium, ceteros quidem fugatos uſque ad mœnia perſecutus eſt. ab Ariſtodemo autem cognomento Malaco victus occubuit: exercitus, duce amiſſo,

e Liv. Lib. 2. Dionyſ. L. 5.

fu-

fusus & fugatus est. multi in fuga, Cumanis persequentibus, interemti: major pars dispersi in propinquum Romanum agrum refugere sine armis, & ad ulterius procedendum præ vulneribus invalidi. quos e villis suis Romani comportatos in Urbem plaustris & carpentis jumentisque, nonnullos semineces, & illatos in domos proprias, cibis, medicamentis, aliisque humanitatis officiis magno cum affectu refovebant; adeo ut multi his beneficiis devincti, exstincto patriæ desiderio, mallent manere apud benemeritos. His Senatus locum in Urbe ad ædificandum dedit, vallem, Palatinum inter & Capitolinum colles, quatuor ferme stadiis protensam, qui usque ad Livii Dionysiique hæc narrantium ætatem *Tuscus Vicus* vocatus est; qua transibatur a Foro in Circum Maximum; eaque loca occupavit ubi nunc Boarii Fori pars vulgo *Campo Vaccino*, Hospitalis Domus & Templum Beatæ Mariæ de Consolatione, Sacræ quoque Ædes Sanctæ Mariæ Liberatricis, Sancti Theodori & Divæ Anastasiæ prope Sancti Georgii Templum, quod tamen in Velabro vico ab Tusco distincto fuisse, vetustum ipsum vocabulum perseverans quo appellatur *in Velabro*, satis ostendit. Porro, vicum Tuscum populo frequentissimum & artificum propolarumque tabernis celebrem, de Historicis Poetisque simul accepimus. Quos inter Livius ipse non uno loco, Rufus in regione Urbis quæ dicta est *Forum Romanum*, Festus, Varro, & omnium antiquissime Plautus: *f*

In Tusco vico ibi sunt homines qui ipsi sese venditant,
In Velabro vel pistorem vel lanium vel haruspicem,
Vel qui ipsi vortant, vel qui aliis ut versentur, præbeant.

f *in Curculione Act. 4. Scen. 1. v. 21.*

g & Horatius de Nomentano luxuriante, & patrimonium in cupediis prodigente locutus: g *Sat. 3. Lib. 2.*

Nunc age, luxuriam & Nomentanum arripe mecum.
Vincit enim ſtultos ratio inſanire nepotes.
Hic ſimul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piſcator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tuſci turba impia vici,
Cum ſcurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant.

Non ignoramus, vicum Tuſcum Romæ de aliis Tuſcis cognominatum dici ab aliis auctoribus. Attamen Livii & Dionyſii concordi ſententiæ adhæremus diſerte teſtantium, de Tuſcis illis qui duce Arunte Porſena Lartis Porſenæ regis filio, Aricinis bellum indixerant, & Ariciam urbem oppugnaverant, appellatum vicum Tuſcum Romæ fuiſſe. Ceterum, illud pro Aricinorum potentia atque opibus in hoc Tuſcorum bello adverſus illos opportune notandum, Ariciam eorum urbem amœnitate, divitiis, copia, Tuſcum Regem valuiſſe allicere, ut eam proprium ſibi principatum vellet acquirere. Rurſus, eamdem non ſolum cum Tuſculanis & Antiatibus finitimis ſibi populis ſocietatem habuiſſe, ut ex allatis illi auxiliis hic in tempore, conſtat; verum etiam cum Cumanis in Campania, procul utique ab Aricia conſtitutis, fœdera habuiſſe. vi quorum, Cumanorum Princeps ſeu Tyrannus Ariſtodemus, licet *Malacus*, h. e. *mollis*, cum exercitu tamen inſtructo accurrens, Tuſcos eorumque Regem non repulit modo ab Aricinis mœnibus jam jam capiendis; verum etiam fudit, fugavit, interfecit, ac profligavit, augendæque eorum reliquiis Romæ, Tuſco vico addito atque exſtructo, occaſionem dedit. Neque id Tuſcorum adverſus Aricinos bellum fuit adeo breve, ut tumultuarium prœlium, aut ſubitarius inſultus ab iis qui priſca contemnunt, & omnia

pu-

puſilla putant veterum geſta, exiſtimari potuerit; cum & ſpatium ſocios cominus eminuſque advocandi, & adducendi dederit; &, ex Dionyſio, in alterum annum id bellum productum, merito colligamus, ajente: *h Aruns Porſenæ Hetruſcorum regis filius, ſecundo anno poſtquam cum Aricinis cœpit bellum gerere, fato ſuo functus eſt.* ait enim idem auctor, ut monuimus, regium hunc Tuſcorum principem ab Ariſtodemo Malaco Cumanorum qui Aricinis auxiliatum venerant, duce, in ipſo prœlio interfectum fuiſſe. Ex quibus omnibus potentiam, opes, ac vires urbis Ariciæ, vel ipſis Romanæ Reipublicæ exordiis, optime cognoviſſe poſſimus. Porro Cumarum tyrannus Ariſtodemus is fuit qui Tarquinii exſulem ſenectutem & ingloriam recepit; apud illum namque Superbus in exſilio deceſſit; ipſumque Ariſtodemum tum patrimonii, tum vero etiam regni, ſi ſuperis placet, hæredem reliquit. Unde anno poſt expugnatos *i* Coriolos, T. Geganio P. Minucio Coſſ. cum ab Romanis frumentum Cumis coemtum eſſet; naves pro bonis Tarquiniorum ab Ariſtodemo tyranno, qui hæres erat, retentæ ſunt. *k*

h *Lib.* 5.

i *Liv. Lib.* 2.

k *Liv. L.* 3. *in fine.*

Interea Aricini cum finitimis Ardeatibus de agro qui circa expugnatam a Romanis urbem Coriolos medius inter utroſque jacebat, diuturnum bellum ſuſceperunt. donec multis invicem cladibus feſſi, judicem Populum Romanum cœperunt. A quo turpe admodum atque iniquum judicium prodiit. Siquidem veteranus quidam P. Scaptius, dum de Aricinorum atque Ardeatium juribus valide apud Populum Romanum diſceptaretur circa eum agrum; in mediam concionem animoſus ſenex proſiluit; eamque agri partem de qua controverſia erat, neque Aricinorum neque Ardeatium ad jura ſpectare,

conſtanter edicit. verum Populi Romani eſſe; partam bello apud Coriolos, cujus urbis ager fuerat. ſe illi expugnationi juvenem interfuiſſe; ſuoque ſudore ac ſanguine eam agri partem quam ſibi finitimi illi uſurpare invicem contendebant, Populo Romano adeptum fuiſſe. Itaque, fruſtra deprecante Senatu pudendum quammaxime judicium, prolata ſententia eſt per Populum Romanum, vocatis in judicium tribubus; eum agrum de quo Aricini atque Ardeates finitimi injuria contendiſſent hactenus inter ſeſe, agrum publicum Populi Romani eſſe, de Coriolorum expugnatione relatum, P. Scaptio veterano milite eumdem a ſe in pugna pro virili parte captum afferente. quamquam id non Aricinis Ardeatibuſque, quam Patribus Romanis fœdius atque acerbius viſum fuerit. Quæ litigantium communis clades ſalubri poſteris exemplo eſſe potuit, ne ad potentiorem & cupidum judicem, vicinumque nimis de bonorum finibus diſceptaturi conveniant, cum ea quæ pacifice inter ſeſe partes componere perfacile poſſint, ſi ad ipſum judicem pertrahantur, nonnullum periculum ſit. Attamen Ardeatium in ea diſceptatione jura potiora Romano Senatui viſa fuiſſe, exinde colligimus; quod in nova Coloniæ Ardeam miſſæ deductione, Senatus ipſe eum agrum de quo fuerat cum Aricinis diſceptatum, novis Colonis, ac Ardeatibus potiſſimum, dividundum curavit. cum de Aricinis facta compenſatione nullus apud Hiſtoricos ſermo ſit. Id forte inde exortum fuerit, *l* quod Aricinis Romani infenſi peculiariter forent; ob veteres ſimultates, quas Aricinorum proceres in Latinorum Concilio ad Lucum Ferentinæ publice exercere non dubitaverant. Cum enim in eo Concilio de reſtituendo Tarquinio Superbo in

l Dionyſ. L.5.

Ro-

Romanum regnum multus fuiſſet ſermo; Octavio Mamilio Tuſculano regis expulſi genero rem maxime urgente; tum Aricini, impetrata dicendi venia, Romanos accuſabant, bellum Hetruſcum contra ſe, neglecto cognationis jure, induxiſſe, &, quantum in ipſis fuerit, omnium Latinorum libertatem Hetruſcis prodidiſſe. Et quamquam M. Valerius Conſularis Romanorum legatus ſuos ab Aricinorum accuſatione purgare pluribus conatus eſſet; ſequenti die, nihilominus, non amplius in concionem introductis legatis Romanis, audito tantum Tarquinio Mamilioque, & Aricinis, ceteriſque qui vellent accuſare Populum Romanum, decreverunt Latini univerſim, violata eſſe ab eo fœdera; reſponſumque Valerio eſt, jura cognationis violata eſſe illorum injuriis; & deliberaturos ſe per otium, quomodo eas ulciſci oporteat. Exortum eſt ex hinc celeberrimum illud Bellum Latinum contra Romanos pro reſtituendis Tarquiniis. cujus inter præcipuos auctores Aricini certe fuerunt; qui, Dionyſii teſtimonio, ut idem decerneretur, nervos omnes intenderunt. ait enim: *m Coactis rurſum apud Ferentinum Concilii præſidibus, belli ſuaſores in pacis ſtudioſos multis verbis invecti, præcipue Tarquinius & gener ejus Mamilius, Aricinorumque proceres effecerunt ſuis concionibus ut omnes Latini nominis populi commune bellum contra Populum Romanum ſuſciperent. & ne quis populus ſocietatem proderet, neve ſine communi conſenſu pacem privatim faceret, jurejurando inter ſeſe devincti ſunt, additis diris exſecrationibus in eos qui a fœdere diſcederent; decretoque, ut pro hoſtibus haberentur a reliquis omnibus. In hoc fœdus nomina dederunt Ardeatæ, Aricini, Bovillani, Bubetani, Corani, Cornetani, Gabini, Laurentini, Lanuvini, Lavinienſes, Labicani, Nomentani, Norbani,*

m *Antiq. Rom. Lib.* 5.

bani, Prænestini, Pedani, Querquetulani, Satricani, Scaptienses, Setini, Tellini, Tiburtini, Tusculani, Trebiani, Veliterni. - - - - - Et ut honestam belli causſam habere viderentur, legatos Romam miserunt nobilissimos viros ex unoquoque populo. Qui in Curiam introducti ajebant, Populum Romanum accusari a populo Aricino, non solum iter tutum præbuisse Hetruscis bellum inferentibus Ariciæ, verum etiam adjuvisse eos rebus ad id necessariis: deinde eos qui prælio effugissent, excepisse inermes & saucios omnes, atque servavisse; cum non ignorarent, eos commune bellum intulisse universo Latino Nomini; ac, si Aricia potiti fuissent, facile occupaturos cetera. Si igitur velint jure cum Aricinis experiri in communi Latinorum judicio, & stare illorum placitis; bello non opus fore. quod si, solita superbia, nihil justum æquumque cognatis concedant; minabantur gentem Latinorum cum eis bellum gesturam totis viribus. Quod & factum est; Romanis nullas pacificas conditiones accipientibus. eo exitu Latinis infelici, quem, post alias, celeberrima apud Regillum Lacum pugna sortita est. Ex quibus in rem nostram animadvertendum; antiqua hæc odia, & apertas obstinatasque Aricinorum in Romanos inimicitias neglecti ab ipso Populo Romano judicii Ardeates inter atque Aricinos de agro Coriolano causſas esse potuisse, ut Ardeatibus per novorum colonorum deductionem idem ager, Aricinis posthabitis atque contemtis, tandem aliquando adjudicaretur. Cognatos autem Romanis Aricinos esse se, & cognationis jura ab illis violata idcirco jactabant; quia Aricini Albanorum olim pars cum fuissent, & Albanis Romanisque eadem per Romulum stirps foret, ipsi Aricini quodammodo cognati Populi Romani dici poterant. *n*

n *Liv. Lib.* 8.

Post hæc, L. Furio Camillo, C. Mænio Nepote Coss.

Coſſ. U. C. Ann. CCCCXVI. cum Antiates diuturnum cum Romanis bellum renovaſſent; Aricini, qui Antiatum auxilia in defendenda patria adverſus Aruntem Porſenæ Tuſcorum regis filium validiſſima atque promtiſſima fuerant experti, veteribus ac fidis ſociis par pari relaturi, delectum habuerunt, & cum aliis Latinis finitimis, ad eos juvandos exercitum eduxerunt. Verum *Aricinos*, inquit Livius, *Lanuvinoſque & Veliternos Antiatibus Volſcis ſe conjungentes ad Aſturæ flumen Mænius improviſo adortus fudit*. Quæ nos in noſtro de Antiatibus Libro fuſius perſecuti ſumus. Rebus autem compoſitis, & finitis, ad aliquod ſaltem tempus, bellis Romanos inter atque Latinos; cum Senatus Populuſque Romanus rebellantes conterminos iſtos ſuos, toties, freno aliquo cohibere omnino conſtituiſſet; graviuſque in eorum aliquot decerneret; mitius tamen cum Aricinis agere, optimum duxit; & charitate illos ſibi ac beneficiis magis, quam terroris pœnarumque vinculis obligare conſtituit. *o* Cum itaque Lanuvinis civitas data fuiſſet, ſacraque ſua reddita, cum eo ut Ædes Lucuſque Soſpitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum Populo Romano eſſet; Aricini eodem jure, quo Lanuvini in civitatem accepti ſunt. Quod jus certe fuit omnium ampliſſimum. & explicatur a Feſto his verbis: *p Municipium alio modo dicitur, quum id genus hominum definitur quorum civitas univerſa in Civitatem Romanam venit; ut Aricini, Cærites, Anagnini*. Hinc illud a nobis ſub hujus initium Libri de Aricinis recitatum M. Tullii *q* celeberrimum teſtimonium: *Quod autem Municipium non contemnit qui Aricinum tantopere deſpicit; vetuſtate antiquiſſimum, jure fœderatum, propinquitate pæne finitimum, ſplendore municipum honeſtiſſimum?* cetera, quæ memorato loco jam recitavimus.

o Liv. Lib. 8.

p v. Municipium.

q Cic. Philipp. 3.

Pu-

r *Ital. Antiq. L. 3. De Aricin. pag. mihi* 921.

Putat autem Cluverius, *r* legendum in adducto Tullii teſtimonio, non *jure fœderatum*, ſed *æquo jure fœderatum*. Et prudenter quidem id putat. quid enim Tullius ad exaltandam ſupra reliqua Municipia, Aricini dignitatem addidiſſet, ſi illud jure tantum fœderatum Municipium dixiſſet? cum profecto & alia Municipia atque oppida *aliquo* certe *jure*, non *injuria* fœderata fuiſſent. Si autem, ut exiſtimamus, illud dixit *æquo jure fœderatum*, multum profecto ad ejus exaltandam dignitatem contulerit. *Jus* enim *æquum*, fuit apud Romanos *jus omnium ampliſſimum*, utpote quo in omnibus ac per omnia, qui illo fœderabantur, cum ipſis Romanis Civibus Romæ natis, atque incolentibus æquarentur. Cum autem Aricini dicantur Livio in Romanam Civitatem accepti eodem pacto quo Lanuvini; atque de his referat ita Civitate eos fuiſſe donatos, ut Templum Lucuſque Soſpitæ Junonis commune cum Populo Romano eſſet; ſacraque ſua iiſdem reddita fuiſſe confirmet; erui merito hinc poteſt, cum Aricinis idem factitatum, ut ſcilicet Dianæ Aricinæ Templum celeberrimum & Aricinum Nemus communia pariter Romanis exinde forent; ſacraque priſca iis reſtituta fuiſſe. Siquidem Romani non ſolum agris mulctare hoſtes quos deviciſſent, ſolebant; verum etiam (quod acerbiſſimum ſemper gentibus omnibus fuit) illos vetuſtis patriis ſacris interdicere, & Romana præcipere iiſdem, conſueviſſe videntur. Quod vero Aricini Cives Romani æquo jure facti

f *Lib.* 1.

fuerint, habemus etiam ex Vellejo Paterculo *f* ajente: *Deinde, interpoſitis duobus & triginta annis, Aricini in Civitatem recepti*. Meciæ ii aut Scaptiæ tribubus aggregati ſignificantur a Livio, paullo poſt eo-

t *Lib.* 8.

rum *t* narratam Civitatem addente U. C. Anno CCCCXXI.

CCCCXXI. *Census auctus*; *novique Cives* (nempe Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani, qui paullo ante Civitate donati fuerant) *censi*. *Tribus propter eos additæ Metia & Scaptia*.

Difficillimis autem Romanæ Reipublicæ ob Punica bella temporibus, Annibale Italiam, Campaniam vero præsertim, deprædante, in fide Aricinos mansisse, de Silio Italico novimus; eos exercitum in Romanorum eorumdem auxilium misisse, referente hisce versibus: *u*

u *Lib.* 8.

Faunigenæ, socio, bella invasere, Sicano
- -- - -- - -- - -- - -- - --
Quique immite Nemus Triviæ, quique Ostia Tusci
Amnis amant.

Transiisse Ariciam ex Municipio ad Coloniam, certum est; cum & Frontino & Floro inter Colonias a Romanis deductas diserte numeretur. *x* Frontinus illam a L. Sylla deductam significavit his verbis: *Aricia oppidum Lege Sullana est munitum*. Cum igitur Sullanæ factionis esset, a C. Mario hostiliter cum proximis urbibus fuit devastata, ac pæne excisa; testante Floro: *y C. Marius Antium, Ariciam, Lanuvium Colonias devastavit*. Ad Municipii nihilominus jura reversa est, ut Cicero in sæpius jam adductis testimoniis diserte asserit. Porro, alibi in hoc Opere lectores monuimus, Municipiorum & Coloniarum vocabula & jura non semper sibi constitisse; & aliud alio tempore præclarius ampliusque fuisse. Quamvis enim primo jus ac vocabulum Municipiorum honestissimum esset; cum tamen in devictas, vel etiam desolatas a populo & infrequentes urbes, Romani Consules, Dictatores, & Cæsares, militum aut Civium Romanorum Colonias deducerent; eæ Coloniarum vocabulo appellabantur, & juribus Co-

x *Lib. de Coloniis.*

y *Epitom. Liv. lib.* 80.

loniarum gaudebant. Unde ipsis antiquis scriptoribus, Ciceroni præsertim ac Gellio, alia modo, modo altera appellatione nominantur, fatente ipso Gellio, jus Municipiorum & Coloniarum jamdiu ab ætate sua fuisse commixtum, atque confusum. Ceterum, Aricinam urbem ab Augusto dilectam, ac beneficiis auctam, minime dubitamus; cum Aricinum illi maternum genus esset, ex Atia, nempe M. Atii Balbi Aricini filia. Sub Nerone quoque floruisse hoc oppidum videtur. Ajunt enim qui Acta Sanctorum Petri & Paulli descripserunt, Simonem Magum, cum Romæ in Foro nunc Boario prodigialem Populo Romano volatum suum in aera sublimem Neroni fuisset pollicitus; malorumque dæmoniorum præstigiis, coram multitudine in Foro Boario, edicto ad id congregata, elevari cœptus esset; Beati Petri precibus, (qui genua flexerat in lapide Romæ adhuc ad Divæ Mariæ Novæ in eodem Foro, impressis genuum vestigiis divinitus, insigni ac prostante) ingenti casu repente decidisse, ac, fractis cruribus, fuisse Ariciam suis ab discipulis deportatum; utpote in oppidum populo frequens; quodque magicis suis artibus ac falsa doctrina dementaverat. ibidem quoque acerbissimos inter dolores atque cruciatus, Simonem eumdem paullo post fato functum, ac sepulcro conditum fuisse, & pro deo cultum fortasse aliquando. breviter tamen; splendidissimæ Christianæ Veritatis perquam nitente Sole, nebulonis nequissimi & circulatoris dæmoniaci tenebras quam citissime dispellente. Servatum nihilominus ejusdem sepulcrum nonnulli existimaverunt; illudque Ariciæ in hanc diem ostendi. quod anno Salutis MDXXC. Bernardinus Sabellius Ariciæ dominus, non in Simonis

mi-

minus perpetuum dedecus, quam Beati Petri decus perenne reſtitui curaverit, ejuſmodi addito monumento: *Fragmentum lapidis ſepulcralis in quo fuit olim ad Ariciam ſepultus Simon Magus; poſtquam Romæ decidit, S. Petri voce precibuſque dejectus. Bernardinus Sabellus Albani Princeps & Ariciæ Dux ad illuſtrandum Principis Apoſtolorum de magico volatu monumentum, erigendum curavit.* De qua narratione univerſa quid certi proferam, non inveni. Volatum & caſum Simonis ab omnibus fere qui Divi Petri Acta ſcripſerunt, Hiſtoricis & Patribus graviſſimis & vetuſtiſſimis memorari certum eſt; neque de illo prudenter dubitari poſſe judico. præcipue cum neque Chriſtiani nominis hoſtis infenſus Suetonius factum omnino reticuiſſe videatur, in Nerone ſcribens: *Icarus primo ſtatim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipſumque cruore reſperſit.* quæ de Mago Simone dicta, non inaniter ſuſpicantur nonnulli; qui cum volatum fuiſſet pollicitus, decidit primo conatu, quemadmodum de Icaro fabulæ meminerunt. De Simone autem Ariciam delato, ibique mortuo & conſepulto, ejuſque in hanc diem exſtante ſepulcro, res admodum incerta eſt; negantibus aliis, aliis mordicus aſſerentibus. Baronius quidem ait, poſt eum caſum in Foro Boario, *ad Brundam*, deſperatione adactum ſeſe præcipitem ultro dediſſe, & ſic fato functum; ubi tamen gentium locus iſte *Brunda* ſitus fuerit, non addidit. Quapropter Philippus Ferrarius & Petrus Ribadeneira, illuſtres de Actis Sanctorum Hiſtorici, Ariciæ Simonem functum, & urna conditum probabilius exiſtimavere; cum certe illum poſt lapſum ex aere, exiguo tempore ſuperſtitem fuiſſe, probabile admodum ſit. ad proximum itaque locum delatum, qualis Ari-

cia, quam ad longinquum, qualis certe Baronii Brunda, quæ nuſquam in Romæ vicinia, atque adeo neque in Latio, neque in Italia univerſa exſtitiſſe veteribus memoratur, veriſimilius multo. Ceterum, de fragmento urnæ figuris inſculptæ incognitis, quod pro Simonis ſepulcri parte Ariciæ oſtenditur, & a recentioribus nonnullis ſcriptoribus aſſeritur, apud probatos Antiquitatis veſtigatores futilis fides eſt; cum nullo id ſolido antiquo argumento confirmari poſſit. Nam quod ajunt, templum Divo Petro juxta Simonis Magi ſepulcrum Ariciæ a primis Chriſtianis exſtructum ob devictum eo in certamine ab illo Magum, nutat id quoque. templum enim Divo Petro ſacrum, quod in Foro Aricino antiquiſſimis ab uſque temporibus exſtitiſſe, non diffitemur, ideo exſtrui potuerit, quod Petrus Aricinis Chriſtianæ fidei lumen primus intulerit, ex Oriente Romam adveniens per Appiam Viam, cujus in limite Aricia fuit. Simonis quidem diſcipulos, addunt nonnulli, ex Aricia poſt conditum ibi magiſtrum, in Pontiam inſulam aufugiſſe, ibique Flaviam Domitillam Chriſtianam virginem nobiliſſimam pro Chriſti fide relegatam a propoſito revocare, diu multumque conatos fruſtra fuiſſe. De cælaturis certe, quæ Aricino ſepulcri fragmento inſunt, nullum, quod putarunt aliqui, argumentum, quod Simonis fuerit, probabile poteſt erui; cum aliorum atque aliorum inſervientes olim cadaveribus urnæ in novi ſepulcri vicem ſæpiſſime fuerint adhibitæ. Quapropter Chriſtiani etiam homines intra ſarcophagos profanorum ſimulacrorum cælaturis inſculptos conditi, ob novi proprii parandi ſepulcri ſive inopiam, ſive incuriam, ſive ob anguſtias temporum, impotentiam, paſſim in dies deteguntur;

cer-

certiſſimis ſcilicet argumentis ac ſignis, puta, Inſcriptionibus, eos Chriſti aſſeclas exſtitiſſe, extra omnem dubii aleam collocantibus. Quod autem Simonis Magi, peſſimi hoſtis Chriſtianorum & primi poſt Reparatorem Noſtrum Deum Hominem JESUM Chriſtianæ Religionis Anteſignani Petri, non ſemel æmuli atque adverſarii ſepulcrum, ſitum tam prope Romam, primorum Chriſtianorum in omnia profana ſimulacrorum eorumque cultorum monumenta incredibili ardore irruentium eademque effringentium, & exſcindentium manus ac juſtam iram effugere potuerit, credibile vix apparet.

Apollonius quidem Tyanæus Magus alter [z] ut pluribus Chriſtianis Patribus nominatur, Ariciæ aliquamdiu conſediſſe dicitur, ibique philoſophicum ludum aperuiſſe, pluresque habuiſſe auditores una cum Philolao Cittienſi pariter Philoſopho, quem in Aricino Nemore invenerat Apollonius, dum Romam peteret. Domitiani ſub imperio hic floruiſſe memoratur, cui inviſus maxime fuerit, & ad mortem quæſitus, quod Coccejo Nervæ imperium prædixiſſet. Ejuſdem quoque Domitiani necem, a Stephano cubiculario illatam, edixiſſe, jactatum eſt, Apollonium Athenis, dum ea Romæ contingeret; pluraque alia prodigioſa rerum commenta de illo narrantur. quæ inter meras fabulas viri ſanctiſſimi ac doctiſſimi tum ex antiquis, tum ex recentioribus plerique omnes merito computarunt.

z *Philoſtrat. in Vita.*

Jam vero ex urbe Aricia, Tullii teſtimonio, Romanæ familiæ quamplures nobiliſſimæ prodierunt, quas Libri hujus initio nominavimus. quibus ipſa *Aricina* ſive *Aricia* nominata adjungenda eſt, ex qua M. Aricius Tribunus legionis Martiæ. Hujus familiæ priſci Lapides apud Reineſium *a* & alios meminere.

a *Reineſ. Ep. ad Rupert. pag. mihi 236. & Ottonem pag. 18. 2. edition. De Ædilib. & Perizonium Animadverſ. Hiſtoric. cap. 1.*

In

In Faſtis, & celebratione feſtorum dierum Aricini Albanos, quorum erant in ditione & regione, ſecuti ſunt; quemadmodum & Tuſculani. Ovidius: *b*

b *Faſtor.* 3.

Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat;
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.

Cum alibi tamen dixiſſet: *c*

c *Faſtor.* 6.

Inſpice, quos habeat Nemoralis Aricia Faſtos.

Prodigia quoque Romam ab Aricia non ſemel nuntiata ſunt, ac præcipue quondam *d Ariciæ Forum & circa tabernæ, Fruſinone murus aliquot locis de cælo tacta*, ait Livius; unde Forum tabernis frequens, & mercatorum commerciis, fuiſſe Ariciæ, colligimus. Quamvis autem antiquus huic Coloniæ jamdiu ſplendor abſceſſerit; & communibus Italiæ totius ac præſertim Romanæ regionis cladibus ac viciſſitudinibus ſæpiſſime fuerit involuta; illam nihilominus etiam Chriſtianis ſæculis floruiſſe, & inter Urbes proprio Sacro Antiſtite gaudentes connumeratam, comperimus. Siquidem Salutis anno CCCCLXXXVII. in Romano Concilio quod ſub Felice Tertio Rom. Pontif. celebratum eſt, *e Evarenus Epiſcopus Aricinus & Aricenſis* interfuiſſe, & cum ceteris Patribus Concilii Actis ſubſcripſiſſe legitur. Quo vero tempore Albanenſibus Sacris Paſtoribus Aricini gregis cura fuerit commendata, & Aricia Civitatis honore frui ceſſaverit, incertum eſt. cum tamen ea ipſa ignoratio, ab antiquiſſimis id uſque temporibus factum, ſignificare videatur. Ceterum, in Romanorum Imperatorum prius, deinde Pontificum ditione permanſit; neque ruſticantium villis frequentari umquam deſiit. Attamen non ſemel dominos, qui ejus poſſeſſionem vel ab ipſis Imperatoribus, vel Pontificibus Romanis ſibi traditam inirent, permutavit. Ex quibus hi memorantur præcipui: Virgi-

d *Liv. lib.* 10.

e *Tom.* 4. *Concilior. pag. mihi* 1149.

ginius Sabellius ſcilicet, qui Albani Princeps, & Ariciæ Dux factus traditur ab Othone Magno Cæſare, quem *Primum* dicunt, licet revera *ſecundus* hujuſce nominis fuerit inter Romanos Imperatores; cum hoc nomine primus in ea ſerie diſerte occurrat ac nominetur M. Salvius Otho, qui Galbam inter atque Vitellium imperitavit. Pluribus itaque ſæculis Aricia in Sabelliorum ditione fuit. *f* Anno autem CHRISTI MCXV. ſub Paſchale II. Rom. Pontif. Petrus Leonis Romanorum potentiſſimus Ariciæ oppidum Ptolemæo Tuſculano Comiti donum dediſſe memoratur. Ex Cincii *g* etiam Commentariis in Vaticana Bibliotheca aſſervatis habetur, oppidum idem Honorio Tertio ſedente, anno Salut. MCCXXIII. ab ejus domino Malabranca, (neſcias num ex Urſina, num ex Sabelliorum familia) fuiſſe Romanis Pontificibus divenditum una cum Turri, quam ipſe Malabranca exſtruxerat, atque muniverat. Additurque, an. MCCCCLVII. ſub Callixto pariter Tertio, cum Sabelliis iterum permutatam Ariciam, *Florenorum*, quos appellabant, nummorum ſeptemmillibus ab alio ejuſdem domino, *Malabranca* item nomine. unde colligimus, hujuſce vocabuli viros Principes ex alia, quam Sabellia ex familia exſtitiſſe. Comitum quoque Romanorum Gentis nobiliſſimæ dominatui aliquamdiu paruit Aricia, Joanne XXII. Rom. Pont. circa Salutis annum MCCCXV. eam Paullo ex Comitibus, Romano regulo, concedente. Denique Fabio Chiſio Senenſi ad Summum Pontificatum aſſumto, fratris ejus filii & conſanguinei Chiſii, Romani Dynaſtæ jam facti, Ariciæ oppidum ac Principatum ab Sabelliis, Romanorum *Scutatorum*, ut ajunt, nummorum trecentis millibus ſexaginta octo ſibi com-

f *Baronius ex Petr. Diac.*

g *Codic. Vatic. pag.* 165.

comparaverunt. Proventus ex ejus agro eorumdem nummorum decem annuis millibus locati ſunt an. Chriſti MDCLXVIII. cum feraciſſimus ſit omnium rerum, ex ea præcipue parte ubi olim Aricinus Lacus ſtagnaſſe creditur, vulgo nunc *Valle Riccia*. Elegans hucuſque oppidulum viſitur, Sacris ornatum Ædibus, ea præcipue quæ *Pantheon Marianum* dicta eſt, in aliquam celeberrimi illius Romæ a M. Agrippa conſtructi ſimilitudinem educta, vulgo *il Duomo della Riccia*. in ea marmori inſculptum legitur: *Deiparæ in Cœlum Aſſumtæ, diruto vetere quod infima in Aricia, hinc ſordibus incommodum, corruebat; Alexander Septimus Pontif. Max. Templum elegantius in loco nobiliore excitatum, Turribus, Ædibus, atque Area ornatum ac perfectum dicavit Anno Salutis MDCLXIV.* Hujus imaginem inter Alexandri Pontificis nomiſmata expreſſam exhibet Oldoinus *h* in ſua de Romanis Pontificibus & Cardinalibus Hiſtoria. Ei Templo contulit Alexander ornamenta ac beneficia quamplurima, Sacerdotumque potiſſimum attribuit Collegium, qui ibidem honorario ſtipendio aucti liberaliter ſacra perpetuo curarent. Ceterum, Deiparæ Virginis cultus ſacerrimus, profaniſſimo Dianæ, atque Egeriæ aliorumque dæmoniorum ſublato ac exſtincto penitus, non uno loco apud Ariciam exercetur. Eſt enim juxta idem oppidum, paſſus circiter mille, via qua Cynthianum itur, Templum aliud inſigne Virgini Deiparæ dedicatum, ubi ejus imago prodigiis clara, aſſiduis populorum concurſibus celebratur, vulgo *la Madonna della Riccia* ſive *di Galloro*. Munificentia ejuſdem Alexandri Pontificis hoc pariter reſtitutum eſt & ornatum, ſimul ac Chiſiæ Gentis Aricinus factus eſt Principatus. Exſtructum id quidem antea fuerat piorum collata

h *Tom.* 4. *in Alex. VII.*

ſti-

ſtipe, duobus jam ſæculis, in Deiparæ Virginis ſine prima Originis labe Conceptæ honorem; quando ipſius ex obſcuro loco detecta imago, quæ ibidem colitur, miraculis clarere cœpit, in hoc Ariciæ ſuburbio; *Gallorum* vulgo appellato; ex antiquis fortaſſe Gallorum ſedibus, aut cædibus, aut ſepulcris, qui aliqua ex tot quas ſuſceperant contra Romanos, expeditione, huc potiſſimum delati, aut cæſi, aut ſepulti fuerint. Ceterum, curantur Ædes, & ejus Sacra, ab Vallis Umbroſæ Divi Joannis Gualberti Inſtitutoris Aſſeclis; & præter adducta nomina, tertio etiam appellatur *Santa Maria de' Miracoli*. Immaculati Virginis Deiparæ Conceptus Teſſeram Religioſi hi viri templi curatores erexerunt publice *Roſarum faſciculum* ex ea ſtirpe quæ inermis naſcitur, cum inſcriptione SINE SPINA. Eſt etiam aliud, intra oppidum Ariciam, piorum Sacerdotum parvum Collegium, quod *Chriſtianæ Doctrinæ Patrum* appellant, ſub Urbano Octavo fundatum ab Franciſco de Paullis Bernardini Sabellii Ariciæ Domini ac Ducis a libellis & ab epiſtolis. Pios item habet Aricia Sacerdotes puerili informandæ ætati dedicatos, quos Auguſtinus Chiſius Ariciæ Princeps adduxit anno MDCLXX. Numerat Oppidum univerſum Capita mille quadringenta: irriguoque fonte in ornati Fori area, Principum Ædibus magnifice exſtructis, hortiſque cultiſſimis pulcherrimi theatri inſtar exhibentibus, & venaturæ peraptis, vicis, utrimque, privatorum ædificiis bene munitis, conſpicuum eſt.

CAPUT V.

De Coriolis Oppido quondam Aricinis finitimo

POST Ariciam, agrumque ejus in planicie, mare versus, Corioli fuere, oppidum antiquissimum Aricino atque Ardeati agro finitimum. De quorum Campis concertatio magna per plures annos inter utrumque populum, Aricinorum scilicet atque Ardeatium, non sine frequentibus prœliis efferbuit. Donec, ex composito, ad Populum Romanum, tamquam justissimum ea super controversia judicem futurum, utrique convenere. Quod tamen secus evenit; per veteranum quemdam militem, Publium Scaptium nomine, judicibus Romanis tribubus corruptis. quæ Coriolanum agrum, neque Aricinorum, neque Ardeatium juris, verum Populi ipsius Romani, frementibus nequicquam Latinis sociis, judicaverunt. Eam historiam fuse Livius. *a* nosque ex eo, in nostro de Ardeatibus Libro, desumtam produximus & rursum hic in Aricinis attigimus. Quare id tantum ex illa modo notandum, Coriolos oppidum cum suo circa agro, Aricinis atque Ardeatibus agris fuisse olim conterminos. Oppidum vero a Volscis inhabitatum fuisse videtur, ut Latii pleraque; quamquam in sinu ipso Latinorum situm esset. Illud Latini scriptores constanter *Corioli* dixere. quamvis Græci non uno vocabulo appellaverint. Nam Dionysio idem est *Coriola* Κοιόλα, & Stephano *Corilla*, vel *Coriolla* Κόιλλα Κοιόλλα, & cives *Corillani*, sive *Coriollani*. Hanc urbem Plutarchus in Coriolano, principem aliquando in-

a L. 3.

ter

ter Volſcos obtinuiſſe locum, tradidit: ἔθνει ἡ Κοριολανῶν πόλις ἀξίωμα μέγιστον ἔχων. *In Volſcorum gente principatum obtinebat Coriolanorum urbs.*

Quod Dionyſius quoque *b* confirmat, pluribus, hujus oppidi ab Cajo Marcio, cui poſtea *Coriolano* nomen, capti atque direpti narrationem complexus. Itaque Conſulibus Sp. Caſſio Viſcellino, Poſthumo Cominio Aurunco U. C. Anno CCLIV. ante CHRISTUM Natum ID. Caſſio urbanarum rerum curam gerente, Poſthumus poſt Longulam & Poluſtiam oppida direpta, ſequenti die cum exercitu Coriolos petiit, urbem nobilem, & quaſi caput Volſcorum. in quam apprime munitam validus exercitus ſeſe receperat; & omni jam apparatu bellico ipſum oppidum affatim inſtructum fuerat. Hoc uſque ad veſperam ejus diei fruſtra Conſul cum oppugnaſſet, validiſſime Latinis intus ac Volſcis reſiſtentibus; irrito tandem conatu, poſt plures ſuorum cædes, exercitum eo die ab oppido reducere coactus eſt. Poſtera luce, comparatis arietibus, vineis, & ſcalis, majore quam antea impetu conatuque urbem jam jam aggreſſurus erat. verum cum cognoviſſet, Antiates Volſcos, cognatione Coriolanis conjunctos, magna manu in conſanguineorum auxilium adventare; oppugnationis conſilium diſtulit: diviſoque exercitu, Titum Largium cum dimidio ad Coriolorum obſeſſionem reliquit; ipſe cum reliquo Antiatibus in occurſum, quo illos Coriolanis ſeſe jungere prohiberet, feſtinato quantocius agmine contendit. Eodem die res geſta eſt utrobique feliciter, omnium egregia opera; ſed unius maxime viri virtute incredibili, vix referenda oſtentantis facinora. is genere patricius erat, non obſcuris natus parentibus, Cn. Marcius nomi-

b L. 6.

mine, homo frugi, & perliberali ac generoſo animo. pugnatum eſt autem utrimque in hunc modum. T. Largius, prima luce, admoto exercitu ad Coriolana mœnia, multis locis tentabat aditum. Oppidani vero erecti Antiatium auxilio, quod jamjam ſibi affuturum ſperabant, unanimiter ex omnibus portis eruptione facta, impetum adverſus hoſtem fecerunt. Neque tamen ullatenus perculſus Romanus, e veſtigio uſquam dimotus eſt; verum fortiter primum Coriolanorum impetum excepit. quin & irruentes multis vulneribus affecit. mox pluribus oppidanis ſupervenientibus, eodemque procurrentibus, Romani impulſi per declivia loca, cedentes in caſtra plerique omnes refugiebant. At Marcius cum paucis non modo non recedere, verum & ſuos in fugam converſos ad prœlium reſtituendum revocare; validoque impetu cuneum Coriolanorum irruentium irrumpere pæne ſolus tentavit. Quod ubi feliciter illi ſucceſſit, proſtratis aliquot, reliquos intra urbem ſeſe jam recipientes perſequebatur ſimul, ac ſuos e fuga revocabat. cædens interea quotquot ex hoſtibus aſſequeretur. Tantaque vis exempli ejus atque orationis fuit, ut Romani e trepida jam fuga converſi, in prœlium rurſum acriores congregarentur, mutatiſque vicibus ipſi Coriolanos uſque intra oppidum repellerent. Et Marcius jam audacius urgebat, ita ut tergo hærens fugientium per portam una cum ſuis irrumperet. ac mox aliquot locis intra urbem pugnabatur, multis utrimque cadentibus tum per vias, tum in expugnationibus ædium. nec otioſæ mulieres erant, e tectis hoſtem tegulis impetentes; & pro ſe quiſque quantum poterat, opem patriæ ferebat. Non tamen diu reſtiterunt, quin ſe victoribus dedere

coa-

coacti fuerint. Captis in hunc modum Coriolis, milites prædam anhelantes mancipia & bona, delectu nullo habito, diripiebant. At Marcius, qui primus impetum hoſtium retuderat, prædam nihil moratus, ſuarum pariter eſſe partium exiſtimavit, qui inſignem præ aliis operam in urbis expugnatione navaverat, in ſecunda pugna adverſus Antiates, qui Coriolanis auxilio venerant, majorem etiam virtutem præſtare. Itaque poſt Coriolorum deditionem, cum paucis qui conſequi poterant, continuo accurrit. Cumque jam inſtructas acies offendiſſet mox congreſſuras, urbem captam primus ſuis, ingentes additurus animos, nuntiat. Deinde locum adverſum hoſtium robori a Conſule impetravit. Tum canentibus ſignis concurritur. Marcius primus oppoſitos ſibi cuneos aggreſſus, multis cæſis, in mediam aciem perrupit. Antiates enim eum cominus ſuſtinere non valentes, qua ſe inferret, loco cedebant, & corona circumdatum eminus telis impetebant. Ibi Poſthumus Conſul veritus, ne deſolato gravius aliquid accideret, ſubmiſit auxilio globum validiſſimorum juvenum, qui hoſtes disjicerent, ac diſſiparent. Qui, via vi facta, fuſiſque adverſariis, impetu elati ulterius, Marcium, conſauciatum licet undique, fortiter tamen adhuc rem gerentem, & circa eum ſtratos multos occiſos aut ſemineces invenerunt. Strage autem undique edita, memorabilem in ea pugna operam ediderunt Romani milites; ii potiſſimum qui Marcium protexerant, & ex præſentiſſimo vitæ diſcrimine, in tempore accurrentes, eripuerant. Omnes tamen Marcius ipſe ſuperavit; quem penes proinde duplicis relatæ victoriæ, & de urbe capta, & de fuſo cæſoque auxiliari exercitu, gloria permanſit. Crepuſculo tandem

mi-

milites retulerunt se in castra, multis Antiatium cæsis, multos etiam captivos secum ducentes. Postero die Consul, advocato in concionem exercitu, prolixe laudavit Marcium; multisque coronis, & ceteris militaribus donis ornavit. Inter quæ fuit equus phaleratus unus, & captiva corpora decem, quæ ipse præoptasset: tum argenti quantum ipse portare posset, & ex reliqua præda omni honestæ primitiæ. Militibus vero acclamatione crebra gratulantibus, Marcius accedens ad Consulem, se ei, ceterisque commilitonibus gratias summas habere, ait, non tamen Posthumi liberalitate usurum. Sibi namque satis fore equum, propter phalerarum pulchritudinem, & unum captivum, quem hospitis loco tractare destinabat. Tum milites, qui prius viri fortitudinem venerabantur, magis etiam frugalitatem divitiarumque contemtum admirati sunt, & in tanta felicitate modestiam tantam. Ex quo facinore *Coriolanus* cognominatus est, omnium ætatis suæ nobilissimus: primo forte, nominis ex urbe capta mutuati, apud Romanos exemplo. Quod autem inter Latina oppida, quamvis a Volscis occupata, Corioli computarentur, inde etiam patet, quod, Coriolis captis, (pergit Dionysius) cum Latinorum populis omnibus fœdus renovatum est, & instaurata amicitia. Fœderis formula talis fuit: *Romanis & Latinorum populis omnibus mutua pax esto, dum cœlum & terra stationem eamdem obtinebunt. & neutri alteris bellum inferant, aut aliunde hostes inducant; nec bellum inferentibus iter tutum præbeant: & bello infestatis opem ferant totis viribus, prædamque ac spolia ex æquo dividant. De privatis contractibus lites judicio dirimantur intra decem dies in foro ejus populi ubi contractus is factus sit. Conditionibus fœderis nihil addatur aut de-*

dematur, niſi ex Romanorum & Latinorum populorum omnium conſenſu. Mox juratum utrimque per ſacra omnia. Supplicationes diis factæ, & dies tertius Latinis Feriis eſt additus. Tanti fuit momenti apud utramque gentem, Romanam ſcilicet, & Latinam, Coriolorum urbis expugnatio. Ceterum, Livius brevibus eadem quæ tam multis Dionyſius, ita complexus eſt: *c Inde protinus Mucamitem Volſcorum cepit* (Poſthumius Cominius Conſul) *tum magna vi adortus eſt Coriolos. Erat tum in caſtris inter primores juvenum Cn. Marcius adoleſcens & conſilio & manu promtus, cui cognomen poſtea Coriolano fuit. Cum ſubito exercitum Romanum Coriolos obſidentem, atque in oppidanos, quos intus clauſos habebat, intentum, ſine ullo metu extrinſecus imminentis belli, Volſcæ legiones profectæ ab Antio invaſiſſent, eodemque tempore ex oppido erupiſſent hoſtes, forte in ſtatione Marcius fuit. is cum delecta militum manu non modo impetum erumpentium retudit, ſed per patentem portam ferox irrupit; cædeque in proximo urbis facta, ignem temere arreptum imminentibus muro ædificiis injecit. Clamor inde oppidanorum miſtus muliebri puerilique ploratu ad terrorem, ut ſolet, primo ortus, & Romanis auxit animum & turbavit Volſcos: utpote capta urbe, cui ad ferendam opem venerant. Ita fuſi Volſci Antiates. Corioli oppidum captum. tantumque ſua laude obſtitit famæ Conſulis Marcius, ut niſi fœdus cum Latinis columna ænea inſculptum monumento eſſet, ab Sp. Caſſio uno, quia Collega abfuerat, ictum; Poſthumium Cominium bellum geſſiſſe cum Volſcis, memoria ceſſiſſet.* Hæc de Coriolis Livius. At Florus preſſius multo adhuc atque acrius hæc tantum, de Bello Latino locutus: *d Coriolos quoque (proh pudor!) victos adeo gloriæ fuiſſe, ut captum oppidum Cneus Marcius Coriolanus, quaſi Numantiam aut Africam nomini indueret.* Et Valerius Maximus ejuſdem Coriolani geſta de-

c *Lib.* 2.

d *Lib.* 1. *c.* 11.

e *Lib.* 4. *c.* 3. deſcribens, *e Cneus Marcius*, inquit, *cui Corioli Volſcorum oppidum captum cognomen adjecit*. Ceterum, Plinius Coriolos inter oppida Veteris Latii quæ ſine veſtigiis exciſa interierant ab uſque Romanæ Reipublicæ exordiis, enumeravit. *f* Quare, certum locum ubi id oppidum ſitum fuerit potiſſimum, nullus mortalium prudenter deſignare poſſit.

f *Lib.* 3. *c.* 5.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

INDEX CAPITUM.

LIBER DUODECIMUS.

DE ALBANIS.

Cap. i. *De Albæ Longæ Conditore & Situ.* pag. 1
Cap. ii. *De Albanorũ Regibus & Albæ Longæ urbis excidio.* 7
Cap. iii. *De Albano Pompeji Magni Rure, & hodierna Albani urbe in ejus ruinis excitata.* 24
Cap. iv. *De Albano Monte, deque Latinis Feriis, aliisque Sacris in eo antiquitus celebratis.* 31
Cap. v. *De Lacu Albano.* 58
Cap. vi. *De Villis, Sepulcris, ceterisque Veteribus Monumentis in Albano.* 69
Cap. vii. *De Templis, Ædiculis, Sacellis & Aris olim in Agro Albano.* 95
Cap. viii. *De Albanis Familiis apud Romanos illustribus.* 108
Cap. ix. *De Bovillis, antiquo Oppido olim in Agro Alb.* 120
Cap. x. *De Loco quondam* Caput Aquæ Ferentinæ *appellato, nunc* Marino, *in Agro Albano.* 142
Cap. xi. *De Prisca Albanæ urbis quaquaversum Regione, Oppidisque ac Pagis antiquitus & in præsens in ea constitutis.* 151

LIBER TERTIUSDECIMUS.

DE ARICINIS.

Cap. i. *De Ariciæ urbis situ, Conditore, atque Agro.* 179
Cap. ii. *De Dianæ Aricinæ Templo, Nemore, Sacrificiis, & Fabulis.* 189
Cap. iii. *De natura, situ, & monumentis Lacus Oppidique Nemorensis, deque Cynthiano Oppido, in Agro olim Aricino.* 234
Cap. iv. *De Colonia Aricina & Municipio, Aricinorumque rebus gestis.* 252
Cap. v. *De Coriolis, Oppido quondam Aricinis finitimo.* 274

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ IN HIS LIBRIS CONTINENTUR.

A

ACilia Familia Albana. pag. 112
Æmiliæ Antiſtene lapis apud Bovillas. 141
Æſculapio & Hygiæ dedicatus lapis in Albano. 104
Æſculapius cultus apud Aricinum Nemus. 224
Alba non unius nomen Urbis in Italia. 2
Alba Longa Priſcorum Latinorum Caput. 2
Albæ Longæ excidium. 17. & ſeqq.
Albæ Longæ nominis origo. 4
Albæ Longæ ſitus olim quis. 7
Albanæ Regionis laudes. 154
Albanæ Regionis priſcis ſæculis amplitudo. 16
Albani Oppidi incolæ dicti *Albanenſes*. 26
Albani Oppidi origo. 26
Albani Romam ab Tullo Hoſtilio traducti. 21
Albani Vini ſpecies & laudes. 93
Albanorum Familiæ in Romanum Senatum inductæ, quæ. 23
Albanorum manſiones Romæ. 21
Albanorum Regni diuturnitas. 9
Albanorum Regum conſuetudines quædam. 14
Albanorum Regum ſeries. 10. & ſeq.
Albanum Cn. Pompeji Magni. 25
Albanum nomen pro Romano aliquando uſurpatum. 109
Albanum Oppidum juxta Viam Appiam Albæ Longæ ſedes minime fuit. 27
Albanus Ager ruſticando aptiſſimus. 69
Albuſiæ ſeu Albuniæ fons in Agro Albano. 107
Alcæus Etruſcum Drama editionis politiſſimæ Patavii ap. Cominum. 157
Amyntas Madidus quid. 157
Annæ Bovillanæ ſedulitas in Romanam plebem. 125
Antinoitæ ſodales Fretriaci. 135
Antiſtiorum lapis in Albano. 87
Antonius Ongarus Patavinus Dramatis Alcæi auctor Patavio vindicatus. 158
Apollonii Tyanæi domicilium Ariciæ. 269
Apuſtiorum Albanorum ſepulcra. 117
Aqua Albana num eadem ac Ferentina. 53
Aquæ Crabræ origo e Lacu Albano. 68
Ardeæ vulgaris appellatio. 153
Aricia *Nemoralis* appellata. 188
Aricia parva Urbs. 186
Aricia ſive Aricina Familia Ariciæ. 269
Aricia *Urbis* vocabulo ab Ovidio honoris præcipui gratiâ nominata. 200
Ariciæ antiqui Oppidi ab Roma diſtantia. 180. & ſeq.
Ariciæ Oppidi cultus & elegantia in præſens. 272
Ariciæ Oppidi priſcus ſitus. 180
Ariciæ vocabulum varia ſignificatione uſurpatum. 182
Aricinæ Coloniæ monumenta. 252 & ſeqq.
Aricinæ Urbis Conditor quis. 183
Aricini Bello Punico pro Romanis 265
Aricini Chriſtianorum Sacrorum Antiſtites. 270

Ari-

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

Aricinis quo jure Romana Civitas data. pag. 263
Aricinorum cum Ardeatibus de Coriolano Agro diuturna certamina. 259
Aricinorum de Romanis querelæ. 261
Aricinus Ager inter fertiliſſimos Latii. 187
idem olim ex parte ſterilis. ibid.
Ariſtodemus Malacus Cumanorum Tyrannus Aricinis auxilio venit, Tuſcorumque exercitum fudit. 257
Artenna Oppidum olim in finibus Albanis. 177
Aruntis Lartis Porſenæ Tuſcorum Regis filii bellum infelix in Aricinos. 256
Arx Carventana quondam in finibus Albanorum. 167
Aſcanius Julus Albæ Longæ Conditor. 3
Aurigæ Hippolyto apud Aricinum Nemus ſupplicabant. 210

B

Birriorum Albanorum monimentum. 115
Bola & Vola quondam Oppidum & Colonia Albanorum. 165
Bomonicæ quinam dicti. 190
Bonæ deæ templum apud Bovillas. 133
Bovillæ Albanorum Colonia. 126
Bovillæ duplices in Latio Veteri ac Novo. 120
Bovillæ Græcis Boillæ num etiam Bollæ. 127
Bovillæ Municipium Romanorum. 135 & ſeq.
Bovillæ Romanorum Colonia. 131
Bovillæ Suburbanæ etiam Bobellæ dictæ. 120
Bovillæ Suburbanæ jamdiu exciſæ. 131
Bovillani Albani Longani dicti. 135
Bovillarum olim celebritas. 124
Bovillarum Suburbanarum ab Urbe diſtantia quæ. 121
Bovillarum vocabuli origo. 123
Burgheſiorum Romanorum Regulorum equi, apud Oppidum Lavinium, nunc Patrica, commendati. 161

C

Cabirii, Caberii, & Cabeſii ſacerdotes Montis Albani. 101. & 102
C. Antiſtii Salii Albani inſcriptus lapis. 99
C. Curius Albanus. 116
C. Hippurii Albani lapis. 114
Cameria Albanorum Colonia olim in Regione Albana. 166
Campi Hannibalis in Albana Regione qui fuerint. 55
Canidianum prædium in Albano. 91
Caput Aquæ Ferentinæ. 142
Carbonianum Rus in Albano. 91
Carcer Albanus tæterrimus. 83
Caſcellianus Fundus Albanus. 90
Caſperiæ Gentis ſepulcrales Tituli in Albano. 88
Caſtra Prætoria in Albano. 80
Caſtrum Mœnienſium in Regione Albana. 166
Caſtrum Sancti Petri in Formulis quondam in Regione Albana. 162
Cellæ Magni ſc. Pompeji, Thermæ in Albano magnificentiſſimæ, vulgo *Cello Majo*. 29
Cerete Marianum Oppidum. 54
Ceretum Oppidum olim in Regione Albana. 167
Chiſii Romani Reguli Ariciæ domini. 156
Chitone Diana unde dicta. 231
Chriſtianorum ſepulcreti veſtigia apud Bovillas. 142
Clivus Virbii juxta Nemus Aricinum. 212
Cloeliæ Gentis Albanæ decora. 112
Cn. Marcii Coriolani bellica virtus & modeſtia. 277. & ſeq.
Cn. Pompeji Magni cineres in Albano. 72

Cœillia seu Collia Gens Albana. pag. 116. & 17
Columnar olim Bovillis. 140
Columnenses Romani Reguli Oppidi Marini jamdiu domini. 145
Columnensium Gens & Familiæ e quatuor præcipuis Romanis generosissimis ac potentissimis. 155
Comitum Tusculanorum Signinorum & Anagninorum & de Ceccano Gens & Familiæ e quatuor præcipuis Romanis generosissimis ac potentissimis. 155
Concha locus Albanæ Regionis. 163
Concilia Latinorum ad Caput Aquæ Ferentinæ. 51
Concilia Latinorum quibus de rebus cogerentur. 53
Coranæ Tabulæ Dianam referentis descriptio. 233
Corbio quondam Oppidum in finibus Albanorum. 177
Corioli deleti sine vestigiis. 280
Coriolorum Urbis situs. 274
expugnatio. 276
Corneliorum monimentum in Albano. 88
Crustumium Oppidum Latinorum ab Albanis conditum. 177
Curiatii Albana Familia. 112
Cursus puellarum cum facibus ad Aricinam Dianam. 197
Cybeles & Atydis Dedicatio Albana. 101
Cynthia Diana & Cynthius Apollo cur dicti. 250

D

De Antiquæ Albæ Longæ situ perversa nonnullorum opinio. 8
Dedicatio Jovi facta in Monte Albano. 96
Dedicationes Bonæ Deæ apud Bovillas. 134
Delphicum Oraculum de Lacus Albani Aqua deducenda. 61
Dianæ Aricinæ inscripti lapides. 225. & seq.
Dianæ Aricinæ Sacra & Fabulæ. 189. & seqq.
Dianæ Nemorensis Vestæ dictæ vetus Inscriptio. 195
Dianæ nominum quamplurimorum series. 228
Dianium sive Artemisium quid. 196
Dictatores Albanorum. 16
Domitianus Imperator studiis favet in Villa sua Albana. 78
Domus Consulum utrum fuerit in Monte Albano. 38
Duodecim deorum ara in Albano. 106

E

Ecetra sive Echetra Oppidum olim in finibus Albanis. 174. & seq.
Egeriæ cum Numa congressus. 216
Egeriæ fons conspicuus in Lacu Nemorensi. 193
Egeriæ Nymphæ fabulæ. 215. & seqq.
Egeriæ Vallis quæ. 217
antrum duplex. 218. & seq.
Egeriæ vocabulum unde originem habuerit. 223
Emissarii Lacus Albani descriptio. 62
Emissarium arte factum Aquæ Lacus Albani. 62
Epii sepulcrum in Albano. 89
Eschinardus (Franciscus) S. J. nobilis Mathematicus. 166
Eugenia Uva in Agro Albano. 93
Eunostides Sodales Fretriaci. 135

F

Fabia Tribus in Regione Albanæ. 169
Fabia Tribus num originem habuerit in Monte Albano. 55
Fabiæ Gentis & Fabii nominis origo unde. 170
Fabienses Populi in Monte Albano. 55
Facelitis & Facelina Diana quare appellata. 190. & 199
Familiarum Albanarum series. 110
Familiæ veterum Albanorum illustres. 108 & seqq.

Faſcelis Faſcelitis Faſcelina Diana cur dicta. 190
Faſti Aricini quales. 270
Ferentina Aqua quænam fuerit. 143
Ferentinæ Lucus, Oppidum, Forum, Caput Aquæ. 51
Ferentinum & Ferentina ad radices Montis Albani unde nomen traxerint. 51
Feriæ Latinæ agitatæ in Monte Albano. 41
Earum ritus, tempus, Populi &c. 42. & ſeqq.
Figlinarum Inſcriptiones repertæ in Albano. 86
Fiſtulæ plumbeæ inſcriptæ ad Lacum Nemorenſem repertæ. 240
Flaminum Virbialium monumenta 211
Flaviæ Rhodines ſepulcralis cippus in Albano. 87
Flavidiæ ſeu Flaviæ Gentis monumentum in Albano. 85
Floræ Feroniæ Dedicatio in Albano. 103
Forenſes Populi num fuerint in Monte Albano. 55
Foropopulienſes & Foropopilienſes in Albano. 54
Fortunæ Superæ Dedicatio Albana. 105
Forum Populi ſive Popilii Oppidum olim in Monte Albano. 54
Frangipanii Oppidi Nemorenſis domini. 156
Fretriaci quinam dicti. 136

G

Generoſæ Familiæ Aricinæ plures. 186
Genialium Deorum Ara Albana. 105

H

Habitus Dianæ Aricinæ qualis. 233
Hermiæ Bargyliitis Græcum monimentum in Albano. 119
Hippolyti cultus Ariciæ. 206
ejuſdem Fabulæ, origo nominis. 207
Hippuria Familia Albana. 114
Hirtianus Fundus in Albano. 93
Hortana Oppidum antiquitus in Finibus Albanorum. 177
Hoſiridi dedicatus lapis in Albano. 105
Humana ſacrificia Dianæ Aricinæ facta. 191
Humanæ Victimæ num in ſacrificiis Latinarum Feriarum adhibitæ. 49
Humani ſacrificii apud Artemiſium quæ conditio, 203

I

Inſcripti vetuſti Lapides ad Villam *Bevilaqua* proſtantes ad Marinum Oppidum, recenſiti. 147. & ſeqq.
Jovis Latialis templum in Monte Albano. 35
Jovis ſimulacrum in Albano ſanguinem ſtillaſſe creditum. 98
Iphigenia Dianæ Aricinæ ſacerdos. 191
Julianus Fundus Albanus. 91
Junoni Albanæ triplex Dedicatio facta. 97
Junoni & Veſtæ cum Jove ſimul Dedicatio reperta in Albano. 96
Junonis ſignum in Albano prodigialiter converſum. 97
Juppiter Latialis quis. 35

L

Lacus Albani deſcriptio. 58
Lacus Albani dimenſio & perveſtigatio. 65. & ſeqq.
Lacus Albani Emiſſaria a natura. 68
Lacus Albani incrementum admirabile. 59. & ſeqq.
Lacus Aricinus jamdiu exſiccatus. 235
Lacus Nemorenſis appellationes. 185

Lacus Nemorenſis cum Albano commercia. pag. 234
Lacuturres caules qui. 236
Lanuvius ſive Lanuvium Rivus in Regione Albana. 166
Lapis Homericus admirabilis apud Marinum Oppidum. 144
Latinarum Feriarum in Monte Albano, & Concilii Latinorum ad Caput Aquæ Ferentinæ lata diſcrimina. 50
Latini Populi qui ad Latinas Ferias in Albano Monte convenire ſolebant. 47
Liciorum adhibendorum mos quid ſibi voluerit. 199
Locus cædis P. Clodii apud Bovillas. 121
Lotorum ſive Lutorum Collegium Ariciæ. 225
Luci diis ſacri in Albano frequentes. 87
L. Albucii Fundus Albanus. 92
L. Acilii Marmor Bovillanum. 137
L. Claudii Diodori Græcum monimentum in Albano. 119
L. Reſtiſii Albani lapis. 117
Lunæ Dedicatio apud Cynthianum. 249
Lunæ Dedicatio in Albano. 102
Lucus Ferentinæ. 143

M

Mæcia Porta Romæ quæ. 172
Mæcia Tribus in Regione Albana. 169
Mæniorum Albanorum ſepulcra. 115
Manii Multi Ariciæ. 196
Manius & Mania quid. 196
Manſiones Albanorum in Cælio Monte. 83
M. Antonii Triumviri R. P. C. ſtatua in Albano ſanguinem fudiſſe credita. 98
M. Fuffii Albani monimentum. 116
M. Iſacii Albani ſepulcralis lapis. 115
M. Junii Silani L. Monimi lapis apud Bovillas. 139
M. Metii Albani monimentum. 114
Marianum Oppidum in Agro Albano. 54
Marianum Prætorium in Albano. 92
Marianus Fundus & Marianum Oppidum. 142
Marinum Oppidum ad Caput Aquæ Ferentinæ ſitum. 145
Marius Frangipanius Senator Urbis commendatus. 247
Maſſa Nemorenſis appellatum aliquando Nemus Oppidum. 247
Mauſolæum juxta Albanum Oppidum in Via Appia vulgo Horatiorum & Curiatiorum dictum, cujus vere ſepulcrum fuerit. 70 & ſeqq.
Montis Albani ædificia, incolæ. 37
Montis Albani Religio ſumma apud Veteres Latinos. 57
Montis Albani ſitus. 31. & ſeqq.
Monumenta Dianæ Aricinæ illuſtrata. 227
Munatii Plancii Rus Albanum. 91
Municipium Aricinum nobiliſſimum 186
Munium ſive Mœnium in Albana Regione. 166
Mutatio equorum olim apud Bovillas. 132
Mutiliæ Albanæ monimentum. 105

N

Navis admirabilis in Lacum Nemorenſem demerſa. 237
Navis admirabilis in Lacum Nemorenſem olim demerſæ ſtructura. 239
Navis admirabilis in Lacum Nemorenſem olim demerſæ expiſcatio. 238. & ſeq.
Nemoralia in honorem Dianæ Aricinæ. 232
Nemorenſis Oppidi exordia & incrementa unde. 185
Neptunenſium mulierum cultus veſtium

ſtium exoticus. pag. 158
Neptunii Oppidi & littoris amœnitas & celebritas. 159
Numicii Fluvii origo ex Lacu Nemorenſi. 236
Nympharum templi veſtigia ad Lacum Albanum. 63

O

Ongarus V. Antonius Ongarus.
Oppidorum tum antiquitus tum hodie in Albana Provincia ſive Regione exſiſtentium enumeratio. 152
Oreſtes Ariciam delatus ac pæne immolatus cum Pylade. 191
Oreſtis Oſſa & Calvaria ubi condita. 190. & 224
Oſcilla, Oſcillatio, Oſcillari in Latinis Feriis quid ſignificent. 45

P

Panis Manicus qualis. 214
Patavini olim in Tribu Fabia numerati. 172
Patrenſium ritus in Dianæ ſacrificiis. 232
Paulli Segneri in Neptunio Oppido natale cubiculum. 159
Perperniorum Fundus Albanus. 89
Pertinacis Imp. Monimentum Albanum 103
Philoſophorum, Oratorum & Poetarum Certamina & Præmia a Domitiano exhibita in Villa Albana. 75. & ſeqq.
Pierantonus (Dominicus Antonius) S. J. accuratus Veterum Monumentorum collector. 154
Pluvia lapidum in Monte Albano. 56
Podium de Monte Albano in Albana Regione. 164
Pompejus Frangipanius e Nemoris Oppidi dominis laudatus. 248
Pontianum Rus Albanum. 91
Pontificiæ Ædes ampliſſimæ apud Caſtrum Gandulphi. 160
Pontificum Albanorum monimentum. 101
Popilianum Prædium in Albano. 91
Porri Aricini celebres. 188
Prætorianorum in Albano monumenta. 84
Prodigia in Albano. 174
P. Papinii Statii Poetæ Villa in Albano. 77
P. Sufenati poſita monumenta apud Bovillas. 135
Puerperarum Vota Dianæ Aricinæ. 201
Pugna Bovillana quid fuerit. 132

Q

Quem ad uſum naves admirandæ ſtructuræ in Lacum Nemorenſem demerſæ fuerint. 240
Quibus artibus demerſam in Lacu Nemorenſi navim apud eum incolæ expiſcati fuerint. 238
Quinquatria a Domitiano celebrata in Albano. 74
Quintilia Gens Albana. 112
Quodnam ſacrificii genus adhibitum in Dianæ Aricinæ Nemoralibus. 232
Quorumdam Dianæ nominum explicatio. V. Dianæ nominum &c. 229

R

Reges Aricini quinam appellati. 205
Regiæ Albanorum Regum ruinæ in Albani Lacus margine. 64
Regio Albana antiquior atque recentior deſcripta. 151. & ſeqq.
Rhea Silvia Veſtalis in Albano. 98
Rhombus Domitiani in Albano. 79
Rivos ſeu Rivus Aquæ Albanæ apud Marinum Oppidum. 142
Roma Albanorum Colonia. 15
Romani cur Aricinis potiſſimum olim infenſi. 260

Ro-

Romani triumphatores ſacrificabant in Monte Albano. pag. 39
Romanorum nonnulli triumphum duxerunt in Monte Albano. 40
Romuli num Sacellum aliquod in Albano. 101
Rubriæ Albanieſis lapis. 118

S

Sabellii quondam Ariciæ domini. 271
Sabelliorum Familia in Regione Albana quondam late dominabatur. 155
Sabelliorum Gens & Familiæ ex quatuor præcipuis inter Romanas generoſiſſimis ac potentiſſimis. 155
Sabellium ſive Caſtrum Sabellium dirutum in Provincia Albana. 162
Sacrarium Gentis Juliæ apud Bovillas. 130
Sacrificia Tauricorum ſimilia Ariciæ peracta. 192
Salii Arcis Albanæ qui. 98. & ſeq.
Segneri (Paullus) commendatiſſimus. 159
Sex. Hippurii lapis in Albano. 106
Servi fugitivi Dianæ Aricinæ ſacerdotes. 204
Signum Dianæ Nemorenſis refoſſum. 196
Simonis Magi ſepulcrum num fuerit Ariciæ. 266
Sfortiæ Cæſarini Cynthiani & Lanuvii atque Ardeæ domini. 156
Solemne currendi feſtum in Artemiſium quotannis celebratum. 202
Solonium ſive Solonius Campus olim in Regione Albana. 165
Spectacula a Domitiano habita in Villa Albana. 73
Spei facta Dedicatio apud Cynthianum. 251
Spicatæ faces a puellis in honorem Dianæ delatæ. 197
Sub Lanubio locus antiquitus in Regione Albana. 166

T

Taurus Feriarum Latinarum communis victima. 44
Templi Dianæ Aricinæ rudera & monumenta effoſſa. 194
Templi Dianæ Aricinæ ſtructura. 193
Tenara pagus olim in Regione Albana. 162
Terentianus Fundus Albanus. 92
Theſauri ſacræ pecuniæ conditi apud templum Nemorenſis Dianæ. 231
Tiberianum in Agro Albano. 91
Tiro Salius Arcis Albanæ. 98
T. Roſcii ſepulcralis lapis apud Bovillas. 141
Toturnus ſive Juturnæ Lacus in Agro Albano. 107
Tragœdiæ olim in Oppido Neptunio ab Columnenſibus dominis exhibitæ. 156
Tulli Hoſtilii Triumphus de Albanis. 24
Tumuli diis ſacri in Albano frequentes. 87
Turni Herdonii ab Aricia cædes. 255
Turris Candulphi unde dicta, & quæ. 160
Tuſculani ſive Romani Comites aliquando Ariciæ domini. 271

V

Vacationes Venatorum quo die. 203
Valloniæ Dedicatio Albana. 90
Vejentis Haruſpicis oraculum de Lacus Albani aqua emittenda. 61
Veneris Gabinæ Dedicatio in Albano. 99
Veneris templa duo juxta Lacum Albanum. 99
Verrugo Oppidum quondam in fini-

nibus Albanis. pag. 174. & ſeq.
Veſta Diana Aricina cur dicta potiſſimum fuerit. 230
Veſtæ cultus & templum Albæ. 94
Veſtigia Bovillarum in Via Appia. 122
Vici Tuſci Romæ origo unde. 257
Villa Bevilaqua apud Marinum antiquis inſcriptis lapidibus & inſculptis monumentis referta. 147
Villa Bonellia Jacobi Tertii Magnæ Britanniæ Regis hoſpitio illuſtris apud Lanuvium. 160
Villa Domitiani Imperatoris in Albano. 73. & ſeqq.
Villa Priapi in Ardeatino intra Provinciam Albanam. 163
Villa P. Clodii in Albano. 85
Virbius Hippolytus quare appellatus. 207
Viſceratio in Latinis Feriis quid. 44
Urſini forte olim Ariciæ domini. 271
Urſinorum Gens & Familiæ ex quatuor præcipuis inter Romanas generoſiſſimis ac potentiſſimis. 155
Uva Albana durata fumo. 94
Vulpii Fratres (Jo. Antonius & Cajetanus) edendorum librorum optimorum elegantiſſime Curatores ſollertiſſimi. 157

TABULÆ

MONUMENTORUM ac RUDERUM

In quibus Albanæ atque Aricinæ Regionis ædificiorum adhuc apparent veſtigia, in his Libris expreſſæ.

LIBRO DE ALBANIS.

Tab. I. *Veteris Albani Lacus, & Albæ Longæ, aliorumque adjacentium Locorum Deſcriptio.*

Tab. II. *Emiſſarium Lacus Albani a Romanis, perfoſſo monte, apertum, Bello Vejenti, prout in fundo veſtigantibus adhuc apparet.*

Tab. III. *Ex ruinis veterum Albanorum in Villa Pauluccia Albana, Romuli & Remi Primordia, deque novæ Urbi conditæ imponendo nomine certamen. ex quo Romæ* Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Tab. IV. *Fluminis Statua e ruinis veterum Albanorum in Villa Barberinorum Albana proſtans, rudi ſaxo & ſculptura efformata.*

Tab. V. *Fluminis item Statua campos frugibus fœcundantis, fortaſſe Nili, ex veterum Albanorum ruinis, in Albana Barberinorum Villa exſtans.*

Tab. VI. A. *Imago veteris Sacrificii, e ruinis Albanorum, in Villa Barberinorum Albana adhuc proſtans.*

B. *Tertia, forte Fluminis Statua ex Albanorum ruinis in Albana Barberinorum Villa.*

Tab. VII. *Thermarum Albanarum veſtigia, quæ in Albano Pompeji Magni Prætorio, juxta Appiam Viam, ſunt: ejuſdemque Magni de nomine, ex veteri* Cellæ Magni, *nunc* Cello Majo, *vocitari exiſtimantur.*

Tab. VIII. *Thermarum Albanarum veſtigia, quæ in Albano Pompeji Magni ſitæ olim, ſupra terram viſuntur, diligenter conquiſita & repræſentata. Exſtant Albani, juxta Appiam, vulgo* Cello Majo, *forte* Cellæ Magni.

Tab. IX. *Thermarum Albanarum magnificentiſſimarum rudera, prout ante annum Salutis MDCCXXXV. cernebantur Albani, juxta Viam Appiam, vulgo* Cello Majo: *forte ex veteri appellatione* Cellæ Magni, *ſcilicet Pompeji, earum exſtructoris & domini.*

Tab. X. *Sepulcri Horatiorum & Curiatiorum perperam crediti veſtigia, prout nunc viſuntur Albani, in antiquo Appiæ Viæ limite, dilabentia.*

Tab. XI. *Caſtri Sabellii diruti proſpectus, in Agro Albano, vulgo* Savello, *ſive* Caſtelſavello.

Tab. XII. *Antiquæ calaturæ Lapis in Marinenſi Columnenſium Principum ditione erutus in Agro olim Albano, in quo Homerus in deos aſſumtus per varios flamines & conſecrantium ordines, Muſarum tum maxime miniſterio, Jovis juſſu, Junone poſtulante, & per Irim præcipiente, ad divinos honores evectus repræſentatur.*

LIBRO DE ARICINIS

Tab. XIII. *Situs Lacus Nemorenſis, ſive Speculi Dianæ priſcis ſæculis.*

Tab. XIV. *Vota figlina in Templo Dianæ Nemorenſis, ſive Aricinæ, olim collocata, ejuſdemque ex ruderibus refoſſa.*

FRAN-

FRANCISCUS RETZ

Præpositus Generalis Societatis JESU.

CUM Librum cui titulus: *Vetus Latium Profanum. Tomus Septimus; in quo agitur de Albanis, & Aricinis*, auctore Josepho Rocco Vulpio nostræ Societatis Sacerdote, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 20. Februarii 1736.

FRANCISCUS RETZ.

Locus ✠ Sigilli.

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. F. Antonio Girolamo Cagnacci Inquisitore di Padova, nel Libro intitolato: *Vetus Latium Profanum. Tomus Septimus; in quo agitur de Albanis, & Aricinis, auctore Josepho Rocco Vulpio Soc. JESU Sacerdote*, non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino*, Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 24. Luglio 1736.

(Michele Morosini Cav. Rif.
(Giovanni Emo Proc. Rif.
(

Agostino Gadaldini Segretario.

OR-

Ordo collocandarum Tabularum.

Tabula I. II.	Pag. 68
Tab. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI.	108
Tab. XII.	150
Tab. XIII. XIV.	234

FINIS.

PATAVII. CIↃIↃCCXXXVI.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

CIAL 93-B
3643
v.7